BIBLIOTHEQUE DU PALAIS DES ARTS

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

390501

JOSEPHI ANTONII PINTII DE NUMMIS RAVENNATIBUS

DISSERTATIO SINGULARIS.



Andr. Bolzoni f.

VILLE DE LYON

VENETIIS, MDCCL.

Typis Jo: BAPTISTÆ PASQUALI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google

Eminentiſſimo, & Reverendiſs. Principi

JACOBO CARDINALI ODDO

ÆMILIÆ A LATERE LEGATO.

Jos. Antonius Pintius F.

SI quid unquam divinitus mortalium generi datum eſt, quod ipſi & cupidius intueantur, & ampleſtantur libentius, nemini dubium eſſe debet, Princeps Eminentissime, quin eæ ſint Litteræ, ac reliquæ Diſciplinæ, a quibus quantum boni Civitatibus, ac nationibus ſingulis dimanare ſoleat, ii fatebuntur omnes, quos non fugiat cum publicam, tum privatam populorum felicitatem non aliunde, quam a Sapientia proficiſci. Optime igitur de Republica mereri ii dicendi ſunt, qui non Litteras modo, Scientiasque calamitoſis hiſce temporibus in Italia proſtratas, ac pœne jacentes erigunt, ſed ipſos literatos viros qua humanitate, qua opibus, qua ceteris præſidiis fovent, adjuvantque: quod niſi Majorum noſtrorum memoria factum eſſet, nunquam certe cultiores Europæ gentes ad tantum gloriæ faſtigium per-

veniſſent. Vides me laudes tuas inde repetere, unde nil detrimenti capere queat moderatio tua: quum enim a puero animum ad ſtudia retuleris, Litteraſque incredibili amore proſequaris, omni cogitatione curaque in id incumbis, ut ceteris quoque in deliciis ſint, atque colantur. Teſtes heic producere poſſem doctos quosque Viros, quos una cum *Nicolao Fratris Filio*, Præſule ampliſſimo, humaniter excipis, quique nusquam, in quo Scientiarum delicias panderent, quam in Ædibus tuis locum invenere; meque imprimis, qui ubi vulgandæ hujus Diſſertationis voluntatem Tibi meam pateſeci, quæ comitas tua eſt, non modo conſilium meum adprobaſti, verum etiam, non ſine aliqua tamen modeſtiæ tuæ contentione, ut Tibi inſcriberetur annuiſti. Neque quis putet, quando locus exigere id videretur, eam nunc mihi mentem injici, ut de Generis tui Nobilitate, quod & rerum geſtarum magnitudine, & Heroum, quos genuit, gloria & originis vetuſtate longe eſt florentiſſimum, heic diſſerendum cenſeam: quum enim prudenter eas commendationes reſpuas, quæ ab animi tui dotibus haud proficiſcuntur, libentiſſime ab iis recenſendis temperabo: id unum addens, tantum ſplendoris Domui tuæ a te ipſo derivari, ut præteritorum temporum decora ſin minus contemnere, at certe non unice reſpicere debeas, quum per te exemplum maximum, atque præclarum pietatis in Deum, amoris in proximos, magnanimitatis, juſtitiæ, humanitatis, non nobis modo, qui tot tantasque virtutes tuas propriis, ut ita dicam, oculis uſurpamus, verum poſteritati ipſi relinquas, quæ una nobiscum fatebitur, *Jacobum Oddum* poſt tot Præfecturas, ac Legationes, quas ſapientiſſime geſſit, jure ac merito a *Benedicto* XIIII. P. M. in Sacrum Cardinalium Collegium fuiſſe cooptatum. Atque utinam Te diu Superi ſervent incolumem; ſperamus enim fore, ut ad majora, teque omnino digna contendas. Interim tu, EMINENTISSIME PRINCEPS, quem Patronum, Fautoremque meum nunquam non prædicabo, munuſculum hoc qualecumque æquo animo excipies, illud reputans, in ejusmodi rebus non excellentiam tantum, ſed obſequium etiam, voluntatemque eſſe laudandam, quæ mea quanta in te ſit, nunquam profecto fiet, ut oratione complecti poſſim.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

HABES, amice Lector, Diſſertationem de Nummis Ravennatibus, quam non ut gloriam mihi ullam ex tenui hac Lucubratiuncula comparem, ſed ut aliquam amoris in Patriam mei ſignificationem proferam, in vulgus edendam cenſeo. Quum enim de Nummariæ Officinæ inſtitutione inter Ravennates non ſatis conſtaret, deque ea breviſſime tantum ſuperioribus annis egerit ad Litterarum incrementum natus Ludovicus Antonius Muratorius, qui innumera pæne ad locupletandam Hiſtoriam jecit ſemina eruditionis; pergratum me antiquitatis ſtudioſis facturum ſum arbitratus, ſi quæ apud auctores ſeorſum invenirentur collegiſſem, atque criticis animadverſionibus ſive confirmaſſem, ſive refelliſſem, ea addendo, quæ ſedulo labore, ac non mediocri adhibita diligentia e vetuſtatis ruderibus, ut ita dicam, effodi potuerunt. Quid autem in ea commentatus ſim, breviter indicabo. Diſſertationem univerſam in ſex partes, ſive capita divido; in quorum priore de Nummis iis agitur, qui Honorio, ceteriſque Imperatoribus occiduas res adminiſtrantibus cuſi ſunt: per id enim tempus Ravennam hac prærogativa donatam fuiſſe communiter nunc cenſent eruditi: quamvis id, ut late patebit, ad remotiora fortaſſis initia ſit amandandum. In ſecundo de eo Nummorum genere ſermonem inſtituo, qui ſub barbaris Regibus percuſſi ſunt; ad quos ii mihi certe videntur referendi, qui in anteriori parte mulieris corona murali redimitæ caput exhibent hac epigraphe FELIX RAVENNA; etenim haud deſunt momenta, ob quæ Gothis Regibus potius, quam Exarchis tribuantur. Tertium caput Nummos eos complectitur, qui ad Exarchorum tempora dubio procul pertinent: acturus in quarto de reliquis, quos ſive Ravennates Archiepiſcopi, ſive Commune Ravennæ, quemadmodum illius ævi diplomata, contractuſque loquuntur, ſignavit. Poſteriora duo tandem ita de variis mo-

netæ generibus different, ut ne exteros quidem nummos in Urbem noſtram receptos prætermittant; quod ſibi præſtandum quoque duxit Joannes Brunatius, quum *de Re Nummaria Patavinorum* erudite, ut ſolet, eleganterque tractaret. Id autem argumento minime officit, quum uſus quodammodo eos Civitate donarit. Nonnulla monumenta vel nondum edita, vel quæ variam aliquam lectionem contineant, ex hoc Archiepiſcopali Tabulario, ex aliis Archivis, atque Auctoribus deſcribentur, quæ Hiſtoriæ huic noſtræ lucis aliquid adferre poterunt. Tandem ad Diſſertationis calcem ponendas curavi aliquot tabulas æneas, illos tantum nummos exprimentes, qui ab eruditis antea obſervati minime fuiſſent; quibus alios nonnullos jam vulgatos adjeci, ut ſingula capita clariora redderentur. Neque nos pœniteat propoſiti noſtri, quum, quos omiſimus, nummos cernere percommode quiſque poſſit apud Ducangium, Bandurium, ceteroſque ejuſmodi Monetarum editores. Fateor tamen in hac Diſſertatione vulganda me non leviter commoveri: quod fortaſſe conſilium cepiſſem numquam, ni præſtantiſſimi aliquot viri per litteras ad id impuliſſent; atque imprimis Ludovicus Antonius Muratorius nuper laudatus, Hercules Dandinus Comes, olim in Patavino Gymnaſio Profeſſor celeberrimus, quem ſuperiori anno e vivis ſublatum, immaturaque nobis morte præreptum deflevimus, ac Camillus Comes Zampierius Patricius Forocornelienſis, qui Hendecaſyllabos aliquot vere Catullianos miſit, quos tamquam pro coronide cum noſtris nonnullis, ac Hieronymi Ferrii in Faventino Seminario Humaniorum Litterarum Profeſſoris eximii publici juris faceremus tûm ut rerum tractandarum aſperitas poeticis luſibus recrearetur, tum ut feſtiviſſimi utriuſque Vatis in latina quoque lingua nitorem atque peritiam, horumce Studiorum cultores ſuſpicerent, ni ad oſtentationem id pertinere alicui videri poſſet: etſi non ſumus neſcii male omnino ſibi conſulere, qui ex aliorum ſcriptis nominis celebritatem ſibi ducunt comparandam. Nos tamen, quantulicunque ſimus, ſemper ab hoc laudis aucupio abhorruimus. Sed antequam in arenam deſcendo, monitum te volo ab eorum more me plurimum abhorrere, qui omnibus, quæ ad manus ſunt, ſcripta ſua

infer-

inſerciunt, eorum nomina ſilentio prætereuntes, a quibus eadem mutuati ſunt, quod certe non immerito ingenuis viris ſtomachum movet: quid enim turpius aut eſſe, aut excogitari poteſt, quam ex aliena ſupellectile diteſcere, tantoque ingrati animi vitio laborare? Id profecto erit in cauſſa, cur aliquando ab itinere deflectam, eorum, qui opis aliquid in texenda Diſſertatione attulerunt, mentionem facturus. Aſt malo verboſus videri, quam ingratus, atque inurbanus. Tenes modo rationem conſilii mei: quapropter tuum erit ſin minus doctrinam atque ingenium, quod ſentio quam ſit exiguum, at voluntatem ſaltem meam in Literas, Patriamque probare: nam ut præclare inquit Tullius lib. I. de Orat. *quum omnia commoda a Patria accepta ſint, nullum incommodum pro Patria grave putandum eſt.*

DE

Digitized by Google

DE SCIENTIARUM ACADEMIIS
A NICOLAO ODDO
PRÆSULE AMPLISSIMO RAVENNÆ INSTITUTIS
ATQUE
A JACOBO
PATRUO CARDINALI
ÆMILIÆ LEGATO IN APOSTOLICAS ÆDES RECEPTIS

ELEGIA

AD VIRUM CLARISSIMUM APOSTOLUM ZENUM.

Vixerat haud molles ter denos Pintius annos,
Affectus nulla pectora triſtitie;
Et modo ſylveſtris recubans ſub tegmine pinus,
Cæſar (a) *ubi ratibus ſemina conſtituit,*
Luſit ad undiſoni vacuus fera murmura ponti
Chloris, & Irene carmina quæ legeret:
Et modo doctorum verſans monumenta virorum,
Quæque, agitante Deo, fervida mens cecinit,
Impatiens circum cæcis obducta tenebris
Senſit, quæ ſuperi clara vident oculis.
Felices animæ, quas non regio aſpera dumis,
Dulce ſed Elyſium, & rura beata tenent.
Nos dum ſectamur volitantia monſtra per auras,
Atra, heu! nox vires obtegit ingenii.
Aſt quid commemoro primævæ damna Parentis,
Poma ubi decerpſit noxia ab arboribus,

Et

(a) Intellige heic Pinetum, ſylvam Ravennatium clariſſimam ſecus mare, conſtruendis navibus fortaſſe Auguſti temporibus ſatam, quod tamen exploratum minime eſt, quum non deſint, qui eam longius deducant, aut naturæ ipſi tribuant. Vide quæ de L. Antidio Feroce Claſs. Rav. Præfecto, quem Pinetum Neptuno, Iſidique ſacraſſe ajunt, circumferuntur.

Et dedit incauto furtim comedenda Marito,
Unde mali terris exſtitit omne genus;
Si hoc etiam in triſti renovat nunc prælia corde,
Miſcet & effœto pectori amaritiem?
Sive etenim incocto dapium ſtimulante cerebrum
Impete, terrificis angar imaginibus;
Seu cruor in noſtris decurrens artubus, acrem
Impellat bilem, ſævaque monſtra ferat;
Actave ſpirituum vis ad caput, undique membra
Deſerat, immiſſo per gelida oſſa metu;
Jactor in indomito, meque inclementia morbi
Sevocat a doctis improba virginibus:
Et qua mœſta ciet gemitus philomela per umbras,
Defluit & tacitis vitreus amnis aquis,
Nunc ſpatior mœrens, nunc tradens membra ſopori,
Anxia ſollicito corda timore premor.
Me fruſtra exanimem compellat voce (a) *Voluptas,*
Ipſa luce mihi carior, atque oculis,
Si neque tantillum noſtri lenire doloris,
Nec potis eſt ullis flectere blanditiis.
Tu mihi, tu ſolus miſero ſolatia reddis,
Atque erepta diu gaudia reſtituis,
ODDE, parens charitum, Stirpis generoſa Propago,
Qua nil ſplendidius, nil & amabilius.
Tu ſtudia, e noſtro ferme fugientia cælo,
Et blande revocas, & revocata foves:
Et facis, ut PATRUUS (b), *Romano nobilis oſtro,*
Excipiat valido læta patrocinio.

Atria,

(*a*) Intelligenda honeſta animi relaxatio, ad eum leporem referenda, quem Græci Eutrapeliam vocant, de qua erudite, eleganterque diſſeruit Cl. Comes Hercules Dandinus in ſuo de Urbanis Officiis Libello, Dial. II. p. 21. & ſeq. Nos amici olim ſuaviſſimi, ac nobiliſſimi nomen heic prætermittere piaculum duximus. De eo autem alibi ita luſimus:

Sic magnus quondam inceſſit, nitidusque Gravina,
Tuque, erepte tuo nuper Dandine Sodali,
Quo gemit amiſſo Conjux, ut compare turtur.

(*b*) Vide Indicem Sociorum ab Archio elegantiſſimis formis expreſſum cura Savernii noſtri, qui doctorum Virorum, ſi nos excipias, Elogia, hanc rem indicantia, collegit, atque Jacobo ipſi Oddo Cardinali ampliſſimo dicavit.

Atria, facundis paſſim reſonantia dictis,
Teſtor, & auritas ad bona verba fores:
Et te, ſancta parens hominum Sapientia, voſque
Cælicolæ, & quotquot caſta Minerva probat.
Priſca etenim quales viderunt tempora Athenas
Florere ingenuis artibus, & ſtudiis:
Aut te, Roma potens, toto ſpectabilis ævo,
Spargere opes circum divitis eloquii:
Sæcula ſic nobis datur aurea cernere, quando
His quoque lux fulſit candida littoribus.
Verum pro tanto quis poſſit munere grates
Reddere, & effari Principis officium;
Quum mea difficili mens languida torpeat œſtro,
Nec ſinat heu dociles fundere verſiculos?
Tu modo, ~~tu magnum vatum decus~~, EMARE, (a) *dices,*
Saucia quæ curis mens, animuſque nequit:
Et PROCERUM natas celebrans ad grandia vires,
Quos veteris ſedes ſuſpicit Imperii;
Eſſe nihil cernes noſtris felicius oris,
Quas intacta colit Pallas, & alma Themis.

(a) Hoc nomine inter Arcades donatur Zenus, quem merito doctiſſimus Paciaudius, de Ripæ Tranſonæ monumentis diſſerens, genuinæ Philologiæ parentem adpellavit.

SYNOPSIS RERUM,

Quæ in hac Diſſertatione continentur.

CAPUT PRIMUM.

MEns Auctoris, rerumque diviſio. Vide Præf.
Quid de Re Nummaria Ravennatum noſtri Scriptores tradiderint. *pag.* 1
Quot in Occidente Honorii temporibus nummariæ Officinæ extiterint, & quandonam moneta Romæ cudi deſierit, ubi Muratorius defenditur adverſus Auctores Ephemeridum Florentinarum. 2
Diſſeritur de Origine Officinæ nummariæ apud Ravennates, ac literæ RVPS, quæ cernuntur in Honorii, ac Joannis tyranni nummis, explicantur. 4
Cur Ravennatis monetæ Procurator deſit in Notitia Imperii, ubi nonnulla ad eandem ſpectantia afferuntur. 6
Duæ Honorii monetæ, & altera Joannis exponitur. 7
Quomodo cognoſcendi ſint nummi Occidentalium Imperatorum, qui Ravennæ ſederunt, laudatas literas RVPS haud præferentes. 9
De literis COMOB &c. in nummorum exergo exprimi ſolitis, ubi de Conſtantinopolis adpellatione nonnulla pronunciantur. 10
Quot modis Ravennæ nomen in lapidibus ſcalpi conſueverit, ubi marmora nonnulla afferuntur, atque illuſtrantur, literæque RV. quæ ad latera figurarum in medii Ævi nummis nonnunquam poſitæ fuerunt, explicantur. 12
Difficultas ex Joviani nummo orta, numque ad hujuſce Imperatoris tempora nummariæ officinæ origo apud Ravennates ſit referenda. 16
Explicantur reliqui occidentalium Imperatorum nummi uſque ad Auguſtulum, paucis ex eorundem vita delibatis. 18. *ad pag.* 28

CAPUT SECUNDUM.

QUandonam Odoacer Italiam occuparit, numque nummos percuſſerit. 29
Quid dicendum de moneta Theodorici, Romanæ officinæ nomen præferente, ubi nummos in Italia ſignaſſe cum ſua effigie ex Caſſiodorio evincitur. *ibid. ac ſeq.*
Quæ in pactum deducta fuerint, quum Italiæ Regnum Barbaris conceſſum eſt, ubi nonnulla de Francorum Regum moneta recenſentur. 32
Num Theodoricus Græcis Imperatoribus ſemper obtemperarit, numque cum Regio nomine, ac poteſtate, regia quoque inſignia ſumſerit. *ibid. ac ſeq.*
Pauca de rebus, moribusque ceterorum Regum, qui Theodorico ſucceſſere, diſſeruntur, atque eorundem monetæ exhibentur, atque illuſtrantur. 36. *& ſeq.*
Agitur de nummis epigraphen RAVENNA FELIX præferentibus, iique

iique ad Gothos Reges referuntur. 42. & ſeq.

CAPUT TERTIUM.

DE Exarchorum adventu in Italiam ſermo inſtituitur, quæriturque num ſtatim a Gothis exactis pecunia Ravennæ conflata fuerit, treſque Juſtiniani monetæ producuntur. 47. & ſeq.
De Juſtino juniore, ac Tiberio Conſtantino agitur, ubi ex quodam marmore occaſione arrepta, plura ad *Argentarios* ſpectantia colliguntur. 49
Mauricii nummi ſuccedunt, cum quibus Phocæ monetæ conjunguntur. 50
Heraclii, Conſtantini Pogonati, ac Leonis Iſaurici nummi exhibentur. 52. & ſeq.

CAPUT QUARTUM.

RES nummaria Antiſtitum Ravennatum pertractatur, ac Gregorii V. Diploma ad Gerbertum de pecunia conflanda recognitum deſcribitur, atque defenditur. 59. & ſeq.
Nonnulla alia ſive Pontificum, ſive Imperatorum Diplomata ad eandem rem pertinentia afferuntur. 65. & ſeq.
Philippi Antiſtitis charta profertur, qua ſignandæ monetæ jus ad Archiepiſcopos tantum, non vero ad Commune Ravennæ ſpectare declaratur; alteraque Raynaldi charta publici juris fit, qua cuidam Maxio *facultatem dat cudendi Ravignanos groſſos, & parvos.* 68. & ſeq.
Ravennates cum Anconitanis conveniſſe de moneta conflanda oſtenditur, ac de poſteriorum temporum pecunia nonnulla leviter innuuntur. 71
Series numiſmatum, ac monetarum Ravennatum Archiepiſcoporum contexitur, atque hiſtoriæ ope explanatur. 72. & ſeq.
Epiſtola ad Amicum de origine vocis *Archiepiſcopus*, de *Argentariis*, deque Officinæ nummariæ ſitu, publici juris fit. 77. & ſeq.

CAPUT QUINTUM.

DE Libra, Solidis, Denariis, Groſſis, & Parvis Ravennatibus diſſeritur, ubi plura ex Archivis depromta vulgantur. 86. & ſeq.

CAPUT SEXTUM.

NUmmi aliquot exteri in urbem recepti recenſentur, atque documentorum ſubſidio illuſtrantur. 93
Diſſeritur de Denariis unius Crucis. *ibid.*
De Papienſibus. *ibid.*
De Bizantiis. 94
De Pecunia Lucenſi, ac Marabotinis. *ibid.* & ſeq.
De Pecunia Veneta. 96
De Imperialibus. 98
De Marchis. 99
De Florenis. 101
De Ferrarinis, Bononinis, atque Aquilinis. *ibid.* & ſeq.
Affertur valor pecuniarum ex Rubeo, atque ex Diacepto Veteri Menſæ Archiepiſcopalis, ac Diſſertationi finis imponitur. 103 & ſeq.

CAPUT PRIMUM.

De Nummariæ Officinæ inſtitutione apud Ravennates, deque Nummis Occidentalium Imperatorum, qui Ravennæ ſederunt.

I.

RAVENNAM cudendorum Nummorum prærogativa antiquitus donatam fuiſſe, certum adeo eſt, ut is dumtaxat inficiari id poſſit, qui antiquitatis ſtudia vel omnino deſpexerit, vel a limine vix ſalutarit: quam rem in exteris venia dignam, in noſtratibus non item judicamus, qui & veterum monumentorum copia longe ſunt refertiſſimi, & a Scriptoribus patriis dicendi non minus elegantiam, ac vim, quam in antiquitatis ſtudium, qua in re vel maxime urbis noſtræ laus eſt conſtituta, amorem, ſi ſaperent, debuiſſent arripere. Quæ enim eruditionis ſemina non jecit ſive Ferrettus, ſive Carrarius, ſive Spretus, ſive, ceteros ut omittam, Rubeus ille, qui ad veteres ita accedit oratione utens ad eorum elegantiam accommodata, ut eorum dicta, ſcribendique feſtivitates in ſuccum, quod ajunt, ſanguinemque converterit, poſterorumque admirationem ſibi conciliarit? Scio equidem laudatos Auctores vel de nummis perpauca attigiſſe, vel de iis denariis dumtaxat ſermonem inſtituiſſe, qui poſterioribus ſæculis apud nos obtinuerunt: verum hoc critices defectui, quo per ea tempora laborabant, tribuendum eſt; quod noſtris hiſce temporibus minime ferri debet, quum doctiſſimi Scriptores facem prætulerint, atque ſtudiorum horum caliginem nitidiſſima ſua luce diſcuſſerint: quorum nomina heic prætermittenda cenſemus, ne recoctam, ut dicitur, crambem exhibeamus. Verum ad rem noſtram propius accedendum.

II.

RAVENNA igitur cudendorum nummorum jure donata fuit, ac nummarias habuit officinas. Aſt quibus temporibus eæ

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

primum inſtitutæ fuerint, ſatis haud conſtat. Non equidem ante Honorium M. Theodoſii filium, qui primus Ravennæ Imperii ſui ſedem firmavit, id contigiſſe aſſerendum videtur, quum per eos dies, ut Imperii utriusque Notitia nos edocet, ſex tantum in occiduis regionibus *Monetariæ* Officinæ extiterint, Sciſciæ nimirum, Aquilejæ, Lugduni, Arelate, Treviris, ac Romæ præſertim, de qua ſic Muratorius: (*a*) *caput Imperii Roma vel poſt in Orientem translatam a Conſtantino Sedem vetuſtam retinuit prærogativam publicæ Monetæ..... ſaltem usque ad tempora Heraclii Auguſti*. Neque decipitur doctiſſimus vir in hac Romanæ Monetæ diuturnitate ſtabilienda, ut Florentinarum Ephemeridum Auctores ſentiunt, (*b*) hoc innixi fundamento, quod poſt Ducangium Bandurius duos nummos retulerit, complures poſt Heraclium annos Romæ cuſos, quorum prior ad Stauracium Nicephori Logothetæ Filium, alter vero ad Zoen, ac Theodoram Auguſtas pertinet, addito in utroque Romanæ Officinæ ſigno; nam cum Bandurii verbis, tum hiſtoricis rationibus evincitur merito eos ſuſpectos eſſe debere. Et quidem ut de Bandurii ſententia prius loquamur, poſtquam ille (*c*) Stauracii nummum retuliſſet, hæc ſubdit: (*d*) *nummum hunc rariſſimum, ſi quidem genuinus eſt, exhibuit Ducangius e Strada*. Stradæ autem parum fidendum eſſe ſciunt omnes, qui antiquitatis ſtudio vel leviter delectantur. De Zoes autem, ac Theodoræ nummo, quem pag. 724. exhibuerat, ita loquitur pag. 745. *de utriusque nummi ſinceritate merito dubitaveris; utriusque enim averſa pars hujus ætatis non eſſe videtur..... Uterque exſcriptus eſt e Strada*.

III.

Quod vero ſpectat ad momenta hiſtorica, certum eſt Leonis Iſaurici temporibus quicquid Italiæ erat reliquum a Græcorum dominatu defeciſſe, ſeque in libertatem vindicaſſe (*e*). Qui ergo fieri potuit, ut eodem Imperatore e vivis ſublato A. C. 741. nummi cum Romanæ Officinæ ſigno Stauracio

(*a*) Ital. Med. Ævi Tom. II. Diſs. 27. (*b*) Tom. I. Part. II. p. 39.
(*c*) Part. II. p. 710. (*d*) 711. (*e*) Zonar. apud Petavium.

racio ſignati fuerint, qui Imperio, quod per aliquot menſes rexit, anno dumtaxat 803. potitus eſt? Quæ autem poſt Leonem in Italia per Langobardos, de quibus nonnullos ante Stauracium annos triumpharunt Pipinus, ac Carolus Magnus, rerum commutationes ſint conſecutæ, nemo ferme eſt qui ignoret. Nihil de Zoes, ac Theodoræ nummo heic addam, quum res ſatis ipſa loquatur: ſæculo enim dumtaxat Chriſti XI. imperarunt, quo tempore ne minimum quidem juris veſtigium ſupra urbem Romam Græci Imperatores retinuere.

IV.

Cæterum non ſtatim poſt Heraclium Romanam monetam defeciſſe arbitratus eſt Ducangius, (*a*) nummos aliquot exhibens Conſtantis, (*b*) ſive Conſtantini, qui Heraclii ſecundi filius fuit, quos inter alter viſitur, in cujus poſtica hæc leguntur: ANNO XX. M. *magno intermedio*, *in imo* RAV. Si autem Ravennæ nummi tunc ſcalpebantur, potiori jure id Romæ factum fuiſſe dicendum eſt, quæ quovis tempore Imperii capud in Occidente eſt habita, quamvis Auguſti alibi ſederent. Verum Ducangium laudatum nummum ad Conſtantem, ſive Conſtantinum, referentem deceptum fuiſſe, oſtendit Bandurius, quod Conſtans, ſive Conſtantinus anno Imperii ſui XIII. & XVII. unicum Imperii Collegam habuerit, Conſtantinum nempe eum, qui deinde Pogonatus eſt dictus: contra vero anno XX. tres ſocios habuerit, quum biennium ante Heraclium, & Tiberium filios Auguſta dignitate honeſtaſſet. Quum igitur noſter hic nummus, ac reliqui a Ducangio exhibiti tres Auggg. ſtantes in antica præferant, non ad Conſtantem, ſive Conſtantinum, ſed ad Heraclium ipſum potius erunt referendi.

V.

Binas etiam Conſtantini Pogonati monetas affert Bandurius, quarum averſam partem ſic deſcribit: ANNO GK

A 2 *magno*

(*a*) Con ſt. Chriſtian. tab. 33. (*b*) Utroque hoc nomine adpellari ſolet apud Scriptores.

Digitized by Google

magno intermedio , *in ima parte ROM.* Bud. XX. *in medio nummo: in ima parte ROM Ducang.* Ejuſdem Conſtantini nummum Ravennæ percuſſum nobiſcum ex ſuo Muſeo communicavit V. Cl. Annibal Oliverius, de quo alibi agemus. Alterum vero Leonis Iſaurici, ſub quo fortaſſis monetæ prærogativa cum Romæ, tum Ravennæ deſiit, doctiſſimus Janus Plancus Ariminenſis in ſuis Cimeliis ſervat, quem tertio diſſertationis capite explicabimus. Ex quibus omnibus infertur culpandum non eſſe Muratorium, quod circa Heraclii tempora Romanam monetam deſiiſſe affirmarit. Id autem late heic oſtendendum duximus, quod ad rem noſtram facere plurimum deprehendatur.

VI.

Verum ut ad nummariæ Officinæ inſtitutionem apud Ravennates revertamur, ea minime differenda videtur poſt tempora Honorii, quum rationi conſentaneum ſit ea in Urbe, quam Imperii ſui Sedem declaraverat, omnique ornamentorum genere locupletarat, ejuſmodi Officinas inſtituiſſe: id enim Imperiale decus, nummorumque neceſſitas pleno jure flagitabant. Hæc conjectura innititur notis nonnullis, quæ in duobus Honorii nummis, & altero Joannis Tyranni cernuntur, de quibus ſic Muratorius: (*a*) *Apud Ducangium viſitur ejuſdem Honorii nummus cum litteris RVPS, quas ſingulas eruditi interpretantur: Ravennæ pecunia ſignata. Alter quoque a Joanne tyranno poſt Honorii mortem percuſſus eaſdem litteras refert.* Horumce nummorum deſcriptionem accipito a Ducangio ipſo, qui non unicum tantum, ut Muratorius inquit, ſed binos Honorii nummos exhibet, eoſdem viſurus expreſſos ad calcem diſſertationis. Tab. I. n. 1.

D N HONORIVS P. F. AVG. *Imperator cum diademate ex unionibus.*

℞ GLORIA ROMANORVM. *Figura ſtolata, ac galeata ſedens, dextra globum, ſiniſtra haſtam, infra* RVPS.

VRBS

(*a*) Antiq. Ital. Med. Æv. loc. cit.

AR. VRBS ROMA. *Figura ſtolata, & galeata ſpoliis inſidens, dextra globum cum victoriola, ſiniſtra haſtam, infra* RVPS.

DN. IOANNES P. F. AVG. *Imperator cum ſtemmate gemmato.* Tab. I. n. 2.

AR. VRBS ROMA. *Figura ſtolata, & galeata, dextra globum cum victoriola, altera haſtile, infra* RVPS.

VII.

Duo heic explicanda occurrunt, cur nempe litteræ RVPS ad Ravennam ſit referendæ, & cauſſæ, ob quas hi nummi percuſſi fuerint. Prioris rei rationes, ſeu potius conjecturas breviter exhibeo, ut quod ab eruditis ſupponitur, argumento aliquo firmetur. Neminem latet morem fuiſſe non modo eorum temporum, quibus deſcripti nummi cuſi ſunt, ſed ætatum etiam ſuperiorum, per priores ſillabæ litteras integra nomina deſignari: ſic in marmoribus habemus BNMRT pro *benemerenti*, KRM *pro Kariſſimæ*, PSTRSQ pro *poſteriſque*, & alia ejuſmodi bene multa. Actum agerem ſi hujuſce conſuetudinis apud veteres exempla in medium proferrem, quum de ea luculenter differant eruditi. (*a*) Id tantummodo addam, eouſque morem hunc deveniſſe, ut litteræ nonnullæ, quas ne Œdipus quidem ſolveret, in Auguſtorum nummos invectæ fuerint, ut de ΦK, atque HK, quæ Phocam, & Heraclium deſignant, liquido apparet. Quid ni igitur eruditi hanc conſuetudinem reſpicientes, nummarias inſcriptiones, atque officinas, quæ per ſimiles notas deſcribebantur, exponere debuiſſent, ſi eorum conjecturæ hiſtoricis rationibus fulcirentur?

VIII.

Id profecto fuit in cauſſa, cur Mediobarbus, Ducangius, Bimardus, aliique litteras MDPS, AQS, ROPS, ſimileſque de pecunia Mediolani, Aquilejæ, Romæ atque alibi ſignata

(*a*) Fabrett. Inſcr. Dom. cap. III. p. 164. & ſeq. Oliv. Marm. Piſaur. p. 67. aliiq.

Digitized by Google

gnata expoſuerint. (*a*) Fallitur igitur præſtantiſſimus Harduinus litteras RVPS reddens: *Remenſes Vicani Patrono ſuo*. Nam ut recte admonet Cl. Jobertus (*b*) rationi, veritatique conſentaneum magis eſt per *exergorum* litteras urbes illas interpretari, in quibus nummi cuderentur, quam ita easdem diſſolvere, ut earum quælibet verbum integrum conſtituat. Non jure tamen hic Auctor *ſiglas* RVPS interpretatur *Romæ in V. Officina*: etſi enim cum Harduino haud pugno, qui prior ſub litteris A. B. Γ. Δ. &c. quæ in Imperatorum nummis leguntur, varias ejusdem urbis officinas deliteſcere arbitratus eſt, attamen contendo probabilius eſſe in noſtris hiſce nummis Ravennam tantum exprimi, ipſius nomine per priores ſillabæ litteras indicato, quum mos illius ævi conſtans fuerit in *exergo* earum urbium nomina ſignandi, quæ nummos percuterent. Nimius eſſem ſi plura hujus rei exempla velim afferre, quum Romæ, Cart. Aſis. Heracl. Alexand. Vienn. Rav. atque aliarum civitatum nomina paſſim in imo occurrant, nulla de officinarum, quæ in iisdem reperirentur, numero mentione facta. Verum quæ capite ſequenti dicenda ſunt rem luculenter oſtendent.

I X.

Neque obſtat, quod in Notitia Imperii, quæ, teſte Pancirolo, ſub finem Principatus Theodoſii junioris conſcripta fuit, deſit Procurator monetæ Ravennatis: nam tribui id jure poteſt negligentiæ, qua conſcriptus eſt Liber, de qua ſic queritur idem Pancirolus in epiſtola nuncupatoria ad Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem: *Hæc omnia utriusque Romani Imperii, tum in duo diviſi, ideſt Orientis, & Occidentis continet Notitia; ſed ita jejune poſita*, (*c*) *ut indicis tantum vice fungatur. Itaque res vetuſtæ, altaque caligine conditæ obſcuræ relinquuntur, ut legentes incerti, & perturbati diſcedere cogantur, & ut ait Poeta:*

Inconſulti abeunt, ſedemque odere Sybillæ.

For-

(*a*) Conſule Ducang. Diſſ. de Inf. Ævi Numism. p. 50. & ſeq. & Mediobarb. in Occone aucto poſt Edit. p. 501. & 502.

(*b*) De Scient. Numism. Inſt. V. (*c*) Quamvis Imp. Notitia jejune conſcripta ſit, eam tamen neceſſariam, nedum utilem adoleſcentibus, in optimis Studiis proficiendi cupidis, judicavit Hadr. Valeſius.

FORTASSIS etiam id contigit, quod Ravennatis monetæ Procurator nuperrime inſtitutus eſſet, in easque tabulas nondum relatus: ni opinari velimus ſupervacaneum fuiſſe monetæ Procuratorem in ea urbe, in qua Imperator ipſe degeret: dubitari ſiquidem poteſt num ubicunque nummi cudebantur, nummarii Procuratores adeſſent; potuit enim per Procuratorem e. g. Romanæ monetæ, Ravennæ quoque Officina regi; exemplo ſumto ex tot muneribus, quæ noſtris quoque temporibus per adminiſtros exerceri ſolent, ne Principum æraria nimis graventur. Nec deſunt exempla ab antiquitate petita: conſtat enim nonnullas leges latas fuiſſe, ne publica pecunia effunderetur. Ceterum me non multum hoc ſilentio terreri debere, docet Ducangius, (*a*) oſtendens plures nummarias officinas per ea tempora inſtitutas fuiſſe, quamvis nullus de iis in Notitia Imperii ſermo habeatur. Venio nunc ad nummorum Honorii, ac Joannis tyranni explicationem.

X.

CREDIDERIM priores duos ad victoriam, quam a Radagaiſo reportavit Honorius, referendos eſſe. Vicit hic Princes Radagaiſum, Stilicone armorum duce, A. C. 405. ut Proſper, vel ſequenti, ut Marcellinus; quibus certe temporibus Ravennæ morabatur, quamvis anno dumtaxat 409. in ea urbe Imperii ſui ſedem fixerit. (*b*) Ideo autem ita ſentio, quod anno 404. adverſus Radagaiſum profecturus, neceſſarias ad bellum copias Ravennæ paraverit; quod illi adeo feliciter ceſſit, ut incolumi pene toto exercitu, ingentes barbarorum copias profligaverit. Hanc victoriam ita deſcribit D. Auguſtinus, qui tamen non nihil catholicis rebus indulſiſſe, ſi narratio ipſius perpendatur, non injuria credi poteſt. (*c*) *Radagiſus uno die tanta celeritate ſic victus eſt, ut ne uno quidem, non dicam exſtincto, ſed nec vulnerato Romanorum, multo amplius, quam centum millium proſternerentur ejus exercitus: atque ipſe cum filiis mox captus debi-*

ta

(*a*) Diſſ. de Inf. Æv. Numiſm. p. 36. & ſeq.
(*b*) Sigon. de Occid. Imp. lib. x. Rubeus Hiſt. lib. II. A. C.
(*c*) De Civit. Dei c. 23.

ta pœna necaretur. Quod ſi lubeat eos de Attalo potius interpretari, (*a*) cujus tyrannidi perfidiæque Honorii in ludos amor, atque ſocordia anſam præbuerat, haud repugnabo: hic enim Imperator XI. Conſulatu Ravennæ inito, de Attalo triumphans, Romam ingreſſus eſt. Hac quoque de cauſſa percuſſi fuere ii nummi, de quibus ſic Baronius ad „ ann. 417. n. LX. 23. loquitur: eodem hoc anno ſub nomi- „ natis Conſulibus (*inquit Proſper*) triumphans Romam in- „ greditur, præeunte currum ejus Attalo, quem Lyparæ vi- „ vere exulem juſſit. *Hæc ipſe: ſed triumphi hujus nullam præterea memoriam extare ſcimus, niſi in nummis, quibus repræſentatur Honorii Imperatoris imago, in quorum parte adverſa effigies ineſt militaris, ſiniſtra Victoriam, dextera labarum tenens, captivum ſupplantans, quo Attalus deſignatur, qui Chriſti virtute ipſe hoſtis chriſtianæ Religionis fuerit penitus debellatus. Sed in uno triumpho, ſi recte inſpicis, de pluribus hoſtibus debellatis celebrantur victoriæ, & glorioſa elevantur trophæa: de Gothis in primis, qui eum, ut vidimus, in Imperium evexere; de gentibus deorum cultoribus, quæ omnibus favere ſtudiis homini reſtituturo Deorum cultum*. Hactenus Baronius; ad cujus verba obſervanda ſunt, quæ commentatur doctiſſimus Pagius ex Philoſtorgio lib. XII. n. 5. ut Honorii triumphum illuſtriorem reddat.

X I.

Quod vero ad Johannis nummum pertinet, in ea ſum ſententia, ut putem tunc Ravennæ percuſſum fuiſſe, quum anno Chriſti 423. poſtquam Ravennam occupaſſet, Ardaburo contra ſe a Theodoſio miſſo, ac tempeſtate jactato potitus eſt: utrumque enim per victoriolam ſat oſtenditur, quam ſtolata, ac galeata figura ſpoliis inſidens dextra manu geſtat; neque enim alios triumphos reportavit, quibus adſcribi nummus commode poſſit. Non inficior tamen fieri potuiſſe, ut in hoc, aliiſque nummis cudendis perſæpe monetarii eodem typo uterentur, quo ſuperiorum Imperatorum numiſmata ſigna-

(*a*) Poſteriorem Honorii nummum refert ad Attalum Mediobarb. Occ. auct. p. 529. Id autem contigit A. C. 417.

ſignarant, nomine tantum, atque imagine in anteriori parte immutata, quum aliquando expreſſa in iis quædam cernantur, quæ nunquam geſſere. Nullus præterea Joannis nummus invenitur cum litteris RVPS, vel quod Ravennæ officina, ut mox patebit, aliter deſignata fuerit, vel quod exiguo tempore Imperii habenas moderatus ſit, quum duos dumtaxat regnarit annos, ac duos circiter menſes cum dimidio, ut ſentiunt Panvinius, Bandurius, aliique adverſus eos, qui ad octo menſes tantum Imperium ipſius contrahunt. Falluntur tamen nonnulli, qui Joannis obitum VI. Kal. Septembris contigiſſe ſentiunt: ſecundum enim Panvinii, Tillemontii, Pagiique calculos a. d. XVIII. Kal. Septembris ex hac vita migravit.

XII.

IIS perpenſis, quæ ad Honorii, ac Joannis nummos apud nos ſcalptos videntur pertinere, inquirendum nunc ſupereſt, quomodo cognoſcendi ſint nummi reliquorum Imperatorum, qui Ravennæ ſederunt, quum in alio nullo, quod ſciam, litteræ RVPS cernantur. Si quod ſentio liceat verbis declarare, ea mihi ſuſpicio pluries injecta eſt, non per litteras R V. tantum deſignari quæ nonnunquam ad latera figurarum viſuntur abſque ullo officinæ nummariæ ſigno in *exergo*, ut in quodam Auguſtuli nummo, quem exhibet Ducangius (*a*), aliique; verum etiam per eaſdem litteras R V, quæ in poſtica leguntur, quamvis in ima nummi parte notæ CONOB, vel COMOB, ſimileſve ejus ævi familiares habeantur. Quod autem de litteris RV id etiam de RM. MD A. C. quas ad Romam, Mediolanum, aliaſque urbes referimus, pronunciandum putamus. His autem rationibus adducor, quod nempe vero ſimile haud videatur illa prærogativa Ravennates per ea tempora neutiquam uſos fuiſſe, qua jam inde ab Honorii temporibus donatos eſſe conjectant eruditi; quodque nullo momento evincatur id juris illi Urbi ademtum fuiſſe, quæ etiam extincto Occidentali Imperio Barbarorum Regum Sedes fuit conſtituta. Neque ejus nummi ad unum omnes periiſſe putandi ſunt; quum enim ex illis complures ſuperſint, qui alibi ſcalpti fuere, intelligi nequit, cur hoc infortunium Ravennatibus tantum acciderit.

(*a*) Conſt. Chriſt. Tab. 24.

XIII.

Conjectura iſthæc mea vel ex eo probabilior redditur, quod nummi, qui in adverſa parte litteras RV. præferunt, additis ſiglis CONOB &c. in *exergo*, vel nulla alia nota adjecta, ſi paucos Auguſtos excipias, de quibus alibi erit ſermo, ut plurimum capita exhibeant Honorii, Joannis tyranni, Conſtantii, Placidæ, Valentiniani III. Julii Majorani, Libii Severi, Glycerii, Zenonis, Julii Nepotis, & Auguſtuli, qui omnes, Zenone excepto, per eos dies in Occidente imperarunt, & vel Ravennæ, vel prope hanc urbem Imperatores renunciati ſunt. Neque mihi negotium faceſſit Zenonis nummus; nam quum hic Imperator Theodoricum Oſtrogothorum Regem in Italiam contra Odoacrem miſerit, nemini mirum videri debet, ſi nummus cum ipſius imagine ibi fuerit ſcalptus, ubi & ipſe Theodoricus, interfecto Odoacre, perpetuo ſedit. Potuit etiam Zenoni cudi a Julio Nepote, qui, ut videbimus, illius ope ad Occidentale Imperium evectus eſt aliquot annis ante, quam Odoacer per vim Italiam ingrederetur. Idque fortaſſe probabilius eſt: typus enim nummi ante Barbarorum tempora videtur expreſſus. Quod ſi forte aliquis alius nummus ejuſdem ætatis extet, ad Græcum aliquem Imperatorem ſpectans, qui diligentiam noſtram fugerit, per eum cenſemus affinitatis, atque neceſſitudinis fœdus oſtendi, quo utrumque Imperium copulabatur: Græci enim Auguſti, ut cuique perſpectum eſt, rebus occiduis ſe ſe ſæpe ſæpius immiſcuere.

XIV.

Nec obſtant opinioni huic noſtræ litteræ COMOB &c. quæ in exergis eorum nummorum cernuntur, quos Ravennæ ſcalptos putamus; nam quamvis Ducangio, aliiſque concedatur per eas Conſtantinopolim deſignari, quod tamen non omnino exploratum eſt; (*a*) non inde tamen ſequitur, monetas

(*a*) Varias hac ſuper re editas commentationes complectitur Hiſt. Acad. Pariſienſ. Inſcript. Tom. I. p. 360. quam ſi conſules, rejectis Cedreni, Harduini, ceterorumquæ opinionibus, in Vaillantii fortaſſe ſententiam

netas illas omnes Conſtantinopoli fuiſſe obſignatas ; quum notæ illæ in nonnullorum etiam Principum ſive Tyrannorum nummis expreſſæ fuerint , qui vel nunquam in ea urbe ſedere, vel cum Græcis Imperatoribus ſimultates exercuere , ab iisque reprobati ſunt, exemplo Attali, Jovini, Conſtantii Comitis , Joannis Tyranni , nonnullorum Regum Francorum, aliorumque, quos erudite refert Ducangius. (*a*) Id tantum addam apud Mediobarbum in Occone aucto p. m. 450. cerni nummum Maxentii , qui nullo pacto Conſtantinopoli ſignari potuit, quamvis laudatas toties litteras exhibeat , ex quo clare eruitur (ſi tamen genuinus ſit) eas ante Conſtantinopoleos denominationem in nummos invectas fuiſſe. En ipſius deſcriptio:

IMP. MAXENTIVS P. F. AVG.
CONSERVATOR VRB. SVAE. CONS. *Roma in templo ſcuto inſidens, dextra globum adſtanti porrigens, ſiniſtra haſtam tenens cum captivo ad pedes.*

XV.

Et re quidem vera ſciunt omnes Maxentium , ubi audivit Conſtantinum Patri demortuo ſucceſſiſſe , ejusque imagines Romam delatas fuiſſe , Imperium, quod per integrum ſexſennium tenuit, uſurpaſſe, ut refert Nazarius (*b*), atque ab eodem Conſtantino ad Pontem Milvium profligatum fuiſſe, ac Tiberi abſorptum. (*c*) Accedit ad hæc Maxentium anno 312. ſupremum diem expleviſſe , Encænia autem urbis (*d*) anno dumtaxat 330. V. Id. Majas celebrata fuiſſe , quo tempore lex lata eſt atque in columnam lapideam inciſa, qua Byzantium novam Romam adpellari jubebat Conſtan-

tentiam deſcendes , cui Auguſtinius prælusiſſe videtur , putantis per eas monetæ probitatem deſignari , ut proinde interpretandæ ſint : *conflata moneta obryzata*, vel potius cum Bimardo, *conflata obryzo* , vel *conflata moneta obryzo*. Quid autem ſibi velit hoc nomen obryzum docet Plinius lib. III. cap. 5.

(*a*) Diſſ. de Inf. Ævi Numism. (*b*) In Panegyrico Conſtantini.
(*c*) Idatius in Faſtis. (*d*) Ibidem.

ſtantinus. (*a*) Oſtendit autem Bandurius (*b*) ex Anonymo Antiq. Conſtant. Part. I. memorata die *Conſtantinopolis nomen eidem urbi impoſitum fuiſſe*. Confirmantur hæc omnia auctoritate Zozimi (*c*) id factum aſſerentis, poſtquam Conſtantinus variis temporibus Cæſares Filios ſuos adpellaſſet, quod certe contigiſſe multo poſt docent Hiſtorici. (*d*)

XVI.

Ut autem ad litteras RV revertamur, quas in noſtrum ſenſum interpretati videntur eſſe Rubeus (*e*), ac Bimardus (*f*), eas Ravennam indicare plane conjicitur ex nummo æreo, a nemine, quod ſciam, edito, (*g*) in cujus anteriori parte mulieris caput murali corona redimitum cernitur, ad-
Tab. I num 3 dita epigraphe FELIX RAVENNA, in poſteriori vero victoriola cum litteris RV ad latera absque ulla officinæ nota in *exergo:* etenim quum in poſtica aliorum nummorum hujus urbis murali corona inſignitæ, vel aquila alis expanſis, vel Ravennæ monogramma cernatur, perſpicuum fit iſtius loco, quod integrum poni nequiret, victoriola poſticæ aream occupante, litteras RV in nummo expreſſas fuiſſe.

XVII.

(*a*) Socrates. (*b*) Imp. Orient. Tom. I. (*c*) Lib. II. c. 33.

(*d*) Pagius, ac Tillemontius. (*e*) Hiſtor. Ravenn. ad ann. 402. p. m. „ 64. ubi inquit: *Hanc* ſignificare victoriam (Alarici nimirum) „ nummisma illud argenteum puto, quod poſtquam hæc ſcripſiſſem, „ & Templum D. Laurentii in Cæſarea ruinæ effoderentur, ſecun„ dum parietem, qui reſpicit Orientem Solem, repertum eſt. Ab „ uno latere ipſius caput Honorii videtur laurea corona redimitum, „ porrecto naſo, nulla, aut raſa barba, niſi pili ſint, quod e ſum„ mo mento eminere cernitur. In ambitu hæ leguntur litteræ: D.N. „ HONORIVS P. F. AVG. Adverſum latus ſimulacrum habet palu„ damento militari: dextra manu haſtam, quæ victoriam referre „ creditur, geſtantem: prementem vero ſiniſtro pede hominis ſimu„ lacrum ſe ſe ex humo tollere adnitentis. In dextero latere ſimu„ lacri paludati eſt littera K. in ſiniſtro V. In ambitu vero VICTO„ RIA AVGGG, erant enim hoc tempore tres Auguſti, quum Ar„ cadius Theodoſium filium Auguſtum declaraſſet. Sub pedibus ita „ legitur. HONOR. “ Corrige CONOB.

(*f*) Act. Academ. Corton. tom. III. p. 182.

(*g*) Exſtat apud Gabrielem Guaſtuccium Monachum Camaldulenſem, Virum apprime eruditum, qui hiſce ſtudiis mirifice delectatur.

Digitized by Google

XVII.

ADDATUR varie adeo deſcriptum fuiſſe anteactis temporibus Ravennæ nomen, ut id quoque non levi eſſe poſſit argumento ad eandem rem confirmandam. Profecto Petrus Diaconus (*a*) nos per litteras RHAV, ſive RE; Magon per RAV, (*b*) & Valerius Probus per RHAV, aut RH. (*c*) Ravennam antiquitus indicatam docent: quid ni igitur & per RV, accedente vel maxime teſtimonio nummi non multo poſt ea tempora percuſſi, quibus Occiduorum Imperatorum monetæ ſignatæ fuerunt? Addatur fides marmorum in quibus varie Ravennæ nomen iisdem temporibus expreſſum fuiſſe nitidiſſime apparet. (*d*)

1.

D. M
T. FLAVIO. CANDIDO
MILITI. CLAS. PR. RA
BEN. III. HERCVLIS.
NATIONE. SIRVS. C
IVLIVS. VICTORINVS
HERES. FACIENDVM
CVRABIT

2

D. M
M. AVR. ROMAN
MIL. CL. PR. RAV
III. AVG. N. SVR
STIP. XX. M. AVR
ROMANVS. MIL. CL. S. S
PATER. FECIT

C. TRE-

(*a*) De Notis Literar. (*b*) Notæ Juris.
(*c*) De Not. Rom. interpretand.
(*d*) Priores tres Inſcriptiones ex Fabretto deſumſimus Inſcr. Domeſt. c. v. p. 365. Reliquas vero ex Muratorio, in hoc Archiepiſcoporum Muſeo exiſtentes inter ceteras, quas Maphejus Nicolaus Farſettus, olim Antiſtes munificentiſſimus, colligi curavit. De Claſſe autem Ravennate loquitur Tacitus lib. 4. c. 5. Appianus lib. 5. Suetonius in Auguſto, & Vegetius lib. v. c. 1.

Digitized by Google

3

C. TREBONIVS. NARESSVS
LVPVS. MIL. EX. C. P. R (*a*)
(*b*) $\overline{\text{III}}$. PACE. V. AN. XXXVIII.
M. VAL. RVFINVS. H. C
DON. CVR. AMI. BENEMEREN

4

C. IVLI. ALEXANDRI
(*c*) AVG. $\overline{\text{M}}$. $\overline{\text{R}}$. (*d*)
C. IVLIVS. ALEXIS. LIB. ET
IVLIA. FAVSTINE
HEREDES

5

C. OCLATIO
ZOZIMO. VIVIRO
$\overline{\text{M}}$. $\overline{\text{R}}$. OCLATIA
ANTHIS
CONIVGI. SANCTISSIMO
H. SIBI. VIVA. P. C

6. M.

(*a*) Intellige heic pariter Claſſem Prætoriam Ravennatem. De ea quoque mentio habetur apud Gruterum p. 457. 8. ubi *Celenius* quidam *Præfectus auxiliorum omnium claſſis Prætoriæ Ravennatis* indicatur. Lapidem haud exhibemus, ne in re clariſſima diutius, quam par eſt, immoremur.

(*b*) In hoc, & ſuperioribus Marmoribus per notam $\overline{\text{III}}$. *Trierem* ſignificari docet Fabretr. in Syntagm. Colum. Traj. p. 113. Reineſius ad Inſc. 46. Claſs. VIII. Philippus a Turre in Monum. Vet. Antii p. 60. Tres igitur vides Trieres deſignari, quarum prior Herculis, altera Auguſti, poſterior vero Pacis nomen referret.

(*c*) Municipiis ſui Augures, atque Auguſtales fuerunt. Panvin. Antiq. Veron. lib. II. cap. 2.

(*d*) Heic autem per litteras R. M. Municipium Ravennæ deſignari docet Muratorius in Theſauro, & Lapis a Rubeo allatus Hiſt. Rav. lib. I. p. 9. hoc pacto.

Digitized by Google

6

M. AVR. DEMETRI
SARAPAMMONI. EC
AVGVRI. DEC. M. R. PAT
(*a*) COLL. FAB. ET. CENT (*b*)

XVIII.

QUÆ de Ravennæ nomine a nobis prolata ſunt, firmantur etiam auctoritate Manutii, qui, ut obſervat Orſatus (*c*) per litteras RM. Ravennatem militiam denotari arbitratus eſt. Neque hactenus dictis obſtat adeſſe alias urbes, quarum nomina per eaſdem incipiant, quarumque nummi propterea cum Ravennatibus confundi poſſint: nam vel eæ monetam haud ſcalpſere, vel id ſuperiori ævo factum eſt, vel tandem per litteras RVS, non per RV deſignantur. Appoſite ad rem hanc locutus eſt Vaillantius. (*d*) *Plurimæ Coloniæ per has litteras RVS incipiunt: Ruſellæ in Tuſcia Plinio lib. III. c. V. ſed Italiæ Coloniis jus cudendæ monetæ haud conceſſum. Ruſadder in Mauritania Tingintana, Antonino in Itinerario, quum a Plinio Colonia non appelletur, a Trajano, aut Hadriano deductam putamus. Ruſconiæ, Ruſicurium, & Ruſazus in Mauritania Cæſarienſi ab eodem Plinio*

P. VETTIO
P. FIL. CAM. SABINO
EQ. P. IIII VIR
AED. POT
ET. MAG. MVN. RAVEN
~~CORNELIA. MAXIMINA~~
MARITO. INCOMPARABILI
ET. SIBI. VIVA. POSVIT

Ravennates vero in Cammilia Tribu, de qua in marmore, cenſos fuiſſe conſtat inter omnes.

(*a*) De ejuſmodi Collegiis diſſerit Reineſ. Cl. VIII. n. 65. Fontaninus Antiq. Hort. cap. v. n. 3. & 4. atque Eminentiſſimus Noriſius, docens per VIVIROS ea quoque adminiſtrata fuiſſe Cenot. Piſ. Diſs. I. c. 6.

(*b*) Quamvis *centonarii* variis muneribus functi ſint, oſtendit tamen laudatus Fontaninus loc. cit. eos homines ita dictos fuiſſe, *qui arcibus, navibus, militibus centones ipſos offerendos curabant*. Conſule etiam Cl. Oliverium Marm. Piſaur. pag. 139. & ſeq. hac de re erudite agentem.

(*c*) De Not. Romanorum. (*d*) De Numiſm. Colon. p. m. 43.

nio collocatur, lib. V. c. II.... & eſt Ruſcino in Gallia Narbonenſi Colonia &c.

XIX.

Ut vero ingenue fatear, quamvis dilucide res ita demonſtrata fuerit, magnam tamen dubitandi occaſionem præbet Joviani nummus, quem refert Ducangius, (*a*) in cujus parte adverſa eædem litteræ RV occurrunt, cum Siglis *Conob.* in *exergo:* etenim quum hic Imperator in Oriente Anno Ch. 363. ac proinde multis ante Honorium annis, fuerit renunciatus, ea videntur corruere, quæ diſſeruimus. Verum liceat mihi dubitanter dicere, iis temporibus Ravennatis officinæ Epocham fortaſſis eſſe adjudicandam: id enim fuit cauſſæ, cur nihil ſuperius pro certo atque explorato definierim. Tanta ſiquidem in Chriſtianas res fuit Joviani pietas, ac ſtudium, ut iiſdem labentibus opem laturus, maxima ac difficillima bella ſuſtinuerit, ingenteſq. victorias reportarit, quas late deſcribunt Cedrenus, Zonaras, Suidas, aliique. Ravenna autem quum quovis tempore pietatis nobilitatiſq. gloria floruerit, hoc fortaſſe magno beneficio affecta eſt a Joviano, vel ab aliquo alio Auguſto, qui circa Joviani tempora vixerit, illam præſidium olim, columenque Romanorum exercituum, atque Latinæ Eccleſiæ *Filiam* Primogenitam (*b*) fuiſſe memoria repetenti, utque eam urbem illuſtriorem redderet, quam & Romana Reſpublica antiquitus plurimi fecerat.

XX.

Hæc magis confirmabuntur ſi advertamus, mortuo Joviano, Imperium in Orientale, & Occidentale primo ſciſſum fuiſ-

(*a*) Conſt. Chriſt. Tab. 16. Ita autem nummus deſcribitur: D. N. IOVIANVS P. F. AVG. *Imp. cum diademate ex duplici unionum filo*. VICTORIA AVGVSTORVM RV. CON. *Victoria nuda alata, & galeata, dextra lauream, ſiniſtra globum.*

(*b*) Hoc nomine Ravennatem Eccleſiam S. Gregorius M. adpellavit lib. IX. ep. 28. Vide Rub. lib. 4. Ughell. num. 34. Fabrium Sacr. Mem. p. 434. alioſque. Hujus autem adpellationis cauſſam affert Rubeus p. 24. inquiens: *Quia vero omnium primus Apollinaris ad eam miſſus ſit, Romanæ Eccleſiæ primogenitam dici, in Italiaq. ſolam poſt Romanam inter Apoſtolicas numerari patet.*

Digitized by Google

ſuiſſe: nam Valentinianus apud Nicæam in Bithynia Imperator electus, Valentem fratrem Auguſtum appellavit, Orientis Præfectura eidem tradita A. C. 364. Profecto & nummi ejusdem Valentiniani extant cum litteris RV in poſtica. Unum ex Occone aucto exſcribam.

D. N. FL. VALENTINIANVS P. F. AVG. *Caput Imp. cum diademate ex unionibus.*
VICTORIA AVGG. CONOB. RV. *Figura ſtans, dextra Crucem, ſiniſtra Victoriolam.*

Hi nummi autem fortaſſe prodiere, quum Valentinianus Ravennæ degeret: *Per id enim tempus* (inquit Rubeus) (*a*) *Valentinianum Imperatorem Ravennæ aliquando morari ſolitum, reſcriptum illud declarat, quod anno tercenteſimo ſexageſimo quinto, dum Conſulatum cum Valente gereret, Ravennæ ad Rufinum Præfectum Prætorio XI. Kal. Julias dedit his verbis.* " Ordines curiarum, quorum nobis ſplendor vel „ maxime cordi eſt, non aggregentur, niſi nominati, niſi „ electi, quos ipſi ordines cœtibus ſuis duxerint aggregan„ dos, nec quis ob culpam, ob quam eximi deberet, ex „ ordine mittatur in curiam „. Confirmatur Valentinianum per ea tempora Ravennæ fuiſſe ex Lege *qui neceſſario C. de Advoc. diverſ. judic.* quam conſtat ibidem latam fuiſſe *Kal. Septembris Valente VI. & Valentiniano II. A A. Coſ.* anno videlicet Chriſti 378. Somniavit autem Fabrius (*b*), & quicumque ei præluſit, quum Legem *eorum patrimonia C. de jure fiſci lib.* 10. Ravennæ pariter ab his Imperatoribus latam affirmat; quum compertum ſit ab Honorio, ac Theodoſio Arcadii filio complures annos poſt eam fuiſſe promulgatam. Atque ut ad Jovianum revertamur, alterum ipſius nummum exhibet Ducangius (*c*) in cujus poſtica hæc habentur: VOT. V. in *Laurea*; *in imo* CONS *&* *litteræ* R. A. Ravennam autem per has quoque litteras fuiſſe deſignatam do-

(*a*) p. 57. (*b*) Ephemerid. VIII. Julii p. 193. Ideo autem Fabrium criminati ſumus, non quod exploratum habeamus Leges dubio procul in iis locis fuiſſe latas, quorum nomina referunt, quam rem inficiantur nonnulli; ſed quod eos libros haud conſuluerit Fabrius, quos ipſe citat. (*c*) Conſt. Chriſt. Tab. 16.

cet nummus Heraclii, quem cum ceteris hujus Imperatoris nummis referemus.

XXI.

Expositis iis, quæ ad notas Ravennam exprimentes attinent, ſeriem nummorum Auguſtorum proſequamur neceſſe eſt. Præter laudatas monetas Honorii, ac Joannis, hæ quoque a Ducangio, Occone, aliiſque afferuntur.

D. N. HONORIVS P. F. AVG. *caput Imperatoris ut ſupra.*

(*a*) VICTORIA AVGG. RV

Δ. RV

D. N. HONORIVS P. F. AVG. *eodem typo.*

(*b*) VICTORIA AVGVSTORVM. RV. CONOB. *Victoria inſidens thoraci, ante quam puer alatus, ambo clypeum tenent, in quo* VOT. XX. MVLT. XXX.

D. N. HONORIVS P. F. AVG. *eodem typo.*

(*c*) XXX. MVLT. XXXX. *in ſcuto, quem duæ Romæ ſpoliis inſidentes ſuſtinent. Ad latera R. A. in imo vero* COMOB.

D. N. IOHANNES P. F. AVG. *Caput ſenile barbatum, corona gemmata cum buſto.*

(*d*) VICTORIA AVGGG. CONOB. RV. *Imperator ſiniſtro pede captivum calcans, dextra labarum, ſiniſtra globum cum Victoria Imperatorem coronante.*

VICTORIA AVGVSTORVM. CONOB. *Victoria galeata ſedens, ſcutum utraque manu ſuſtinet, in ſcuto chriſti Monogramma, ad pedes figura parva ſcutum idem ſuſtinet, quod trunco arboris impoſitum eſt, ad latus RV.*

XXII.

(*a*) Mediob. Occ. auct. p. 526. ad Alaticum autem hi nummi fortaſſe ſunt referendi. (*b*) Ibidem p. 528. dubio procul ſignatus eſt nummus anno 412. quo Honorius Vicennalia in nummo expreſſa Romæ celebravit. (*c*) Pertinet ad ann. 422. quo ab Honorio Tricennalia Romæ celebrata ſunt, poſtquam Maximus Hiſpaniæ Tyrannus a Caſtino victus, ad eum miſſus fuiſſet. Extat autem apud Annibalem Oliverium. (*d*) Refer nummum ad ea tempora quibus Ardaburus a Joanne captus, ejusque exercitus profligatus eſt.

XXII.

SUCCEDIT rariſſimus Conſtantii Comitis Nummus, de quo Auguſto prius nonnulla ſunt differenda, quam eum referamus. Conſtantium poſtquam ingentes victorias a barbaris conſecutus eſſet, Placidiamque recuſantem ab Honorio uxorem accepiſſet, Auguſtum, Imperiique conſortem fuiſſe declaratum poſt veteres docet Sigonius (*a*) inquiens: *extat reſcriptum titulo de Repulſis cum præſcriptione trium Auguſtorum*. Ad quæ verba hæc adnotavit Salinas Monachus Caſſin. (*b*) *eſt lex* 4 *de Repudiis Cod. Theod. qua repudiorum levitas improbatur. Sunt & quatuor aliæ leges* (*c*) *nomine trium Auguſtorum datæ uſque ad Kal. Aug. V. Chronolog. C. Theod. p.* 166. Hanc vero Conſtantii nuncupationem non ad annum 420. ut prodit Proſper, ſed in ſequentem referendam eſſe, patet, quod leges præſenti anno latæ Honorii tantum, ac Theodoſii exhibeant nomina, habeantque in ſubſcriptione: *Theodoſio IX. & Conſtantio V. C. Coſs.* quæ vero ſequenti anno emiſſæ ſunt trium Auggg. nominibus inſigniuntur. *Theophanes inſuper* (ſubdit idem Salinas) *anno Incarn.* 413. *ſecundum Alex. qui incipit a Kal. Sept. ann.* 420. *habet: Hoc anno Conſtantius Valentiniani Pater Imperium obtinuit ſexto Idus Febr. quarto nonas Septembriles occiſus eſt. Hinc Conſtantius anno ſequenti Auguſtus renunciatus, eodemque anno obiit, ut Olympiodorus in excerptis.* Uſus autem eſt Conſtantius auctoritate ſibi ab Honorio collata, quum mandata adverſus Cæleſtium Voluſiano Romæ Præfecto dedit, quæ referuntur a Baronio ad ann. 420. §. 2. ſuo tantum nomine in tabulis inſcripto præter eorum temporum (*d*) conſuetudinem. Conſtantii etiam cum Honorio occiduas res moderantis illuſtre teſtimonium dat Inſcriptio apud Gruterum (*e*),

(*a*) De Imp. Occid. l. xi. (*b*) In Notis ad Sigonium de Occid. Imp.

(*c*) Has Leges viderat etiam Pagius, Diſs. Hypat. p. 28. Vide Bacchinium in Obſerv. ad Vit. Joann. Angelopt, & P.I. p. 314.

(*d*) Tillemontius T.V. p. m. 647. id amanuenſibus tribuit, quibus frequentiſſimus mos fuit illius tantum nomen inſcribendi, a quo mandata dimanaſſent.

(*e*) Pag. 449. 7. ejus priora verba hæc ſunt: DDD. NNN. *invictiſſimi Principes Honorius, Theodoſius, & Conſtantius Cenſores, remuneratoresque virtutum &c.*

quam Maximi ſimulacro, flagitante Senatu, adfigi juſſerunt. Utinam vero tanta dignitas Conſtantio invito, ac recuſanti haud tradita fuiſſet; non enim ex mœrore (*a*) quod ratam eam minime habuiſſet Theodoſius, occubuiſſet. Sunt tamen qui putent obiiſſe eum ex pleuritide, menſe ab ipſius dignitate ſeptimo, vel octavo, anno 420. ſi Marcellinum, ſequenti vero ſi Proſperum audiamus. Hæc autem omnia ideo collegimus, ut facilius intelligatur rariſſimus nummus, Ravennæ, ut putamus, ſignatus, in cujus anteriori parte viſitur *Imperator laureatus & clamidatus cum litteris* D. N. CONSTANTIVS P. F. AVG. *In poſtica figura militaris captivum calcans, labarum dextra, victoriolam ſiniſtra tenens cum litteris RV ad latera, addita epigraphe* VICTORIA AVGGG. *in imo vero* COMOB. Eum publici juris fecit (*b*) Bimardus.

Tab. I. num. 4.

XXIII.

Quod de Conſtantii nummo diximus, de monetis etiam Gallæ Placidiæ dicendum putamus. Vixerat præſtantiſſima hæc Mulier diu Ravennæ cum Honorio Fratre, antequam ſimultates cum eo exerceret: poſt cujus obitum ibidem cum Valentiniano Filio ad mortem uſque imperavit, ubi ſplendida munificentiæ ſuæ ſigna reliquit. Non aſſentimur autem Bandurio, qui nummos omnes illius nomen exhibentes Placidiæ M. Theodoſii Conjugi adſignat, neque Mediobarbo, aliisque, qui Placidiæ ejusdem Theodoſii uxori ſecundæ (*c*) attribuunt, ſed Ducangio, ac Begero, qui poſt Baronium noſtræ hujus Placidiæ eſſe arbitrantur. Movet nos ut ita ſentiamus eorumdem typus, quo fit, ut cum Honorii nummis in Occidente percuſſis, ſi Placidiæ imago tollatur, facillime confundi poſſint; movent litteræ RV, quæ in

(*a*) Paulus Diac. l. 4. Oroſ. l. 7. c. 40. (*b*) Act. Accad. Corton. Tom. III.
(*c*) Hanc opinionem refellit Bacchinius ad Vit. S. Joann. Angelopt. & Joann. II. loc. cit. tum quod ſecundam hanc Theodoſii M. uxorem *Gallam* tantum Scriptores dicant, neque Placidiæ cognomen illi conveniat, tum quod neque ſua, neque Conjugis Vicennalia in quodam nummo expreſſa celebrare potuerit, quod brevi poſt Nuptias in puerperio deceſſerit. Errat tamen Bacchinius, vel potius Typographus X pro XX. ponens.

in iis ſunt frequentiſſimæ; movet copia ipſorum, qui, dum vel Ravennæ, vel in ejus agro variis temporibus ſolum effoderetur, reperti ſunt; movet demum hujus Mulieris potentia, quæ Auguſtorum Filia, Soror, Conjux, ac Mater extitit, quamque ad delicias, & fortaſſe plus nimio, dum in aula ſecum degeret, Honorius dilexit, & quæ tandem, Valentiniano Filio, ſextum ætatis annum agente, Cæſare renunciato, nutu ſuo occiduas res moderata eſt. Claudit ipſius cineres onychina urna, quæ in SS. Nazarii ac Celſi Sacello ſervatur, quod vivens circ. ann. 440. ad Sanctæ Crucis Baſilicam excitarat. Cellulas enim ejuſmodi, quæ *Oratoria* etiam ac *Monaſteria* adpellabantur, a nobilioribus Laicis Baſilicis adhærentes conſtrui ſolitas norunt omnes, qui hiſce ſtudiis delectantur. De hoc Sacello ſic quondam luſimus:

Ardua quæ ſurgit gelidis ſpectanda ſepulcris
    Et circum triſti fronde revincta Domus;
Auguſtos cohibet manes, queis Roma triumphos
    Detulit: heu cineres quam brevis urna tegit!
Heic ſpectanda Parens (*a*), jacet heic (*b*) generoſa [Propago.
    Occidui heic (*c*) Frater jam caput Imperii.
Quare age lacrimulis tumulos conſperge Viator:
    Ni facias, dura durior es ſilice.

Exhibeamus modo ſeriem nummorum Placidiæ, quos Ravennæ percuſſos putamus.

Aur. D. N. GALLA PLACIDIA AVG.
(*d*) SALVS REIPVBLICAE. RV. CONOB. *Victoria inſidens thoraci, clypeo inſcribit Chriſti monogramma.*
(*e*) VOT. XX. MVLT. XXX. RV. CONOB. *Victoria alata ſtans, dextra Crucem longam.*

Æ D. N.

(*a*) Placidia. (*b*) Valentinianus III. (*c*) Honorius.
(*d*) Ad quem annum referendus ſit nummus, ignoramus. Forte ad 414. quo in Foro Cornelii nupſit Athaulfo Gothorum Regi: tunc enim Reipublicæ ſalutem factam fuiſſe recte dici poteſt, quod Conjugem precibus adduxerit, ut paulo poſt pacem cum Honorio conficeret.
(*e*) Signatus eſt nummus ann. 412. quo Honorius Romæ Vicennalia ſplendide celebravit, de quibus nonnulla nuper adnotavimus.

Æ D. N. GALLA PLACIDIA P. F. AVG. *Auguſta cum diademate ex unionibus.*

(*a*) VICTORIA AVGGG. RV. CONOB. *Imp. ſtans, dextra labarum, ſiniſtra globum cum victoria; pede ſiniſtro captivum calcans.*

XXIV.

SUCCEDUNT Valentiniani III. nummi, de quo ita Sigonius: (*b*) *Hanc ille Urbem* (Ravennam) *quoniam pro Imperii ſede habuit, omni inde monumentorum, atque ornamentorum genere inſignivit. Nam Ædem* (*c*) *D. Joannis Evangeliſtæ ex voto conſtruxit, & ducta ex Pado ſoſſa flumen ipſum derivavit, atque ad mœnia urbis deductum, partim in Urbem infudit, partim mœnibus circumfudit, ut non ſolum commercio ſerviret civium, ſed firmamento murorum.* Confoſſus eſt Romæ in campo Martio Imperii ſui anno trigeſimo, Chriſti 455.

Aur. D. N. PLA. VALENTINIANVS P. F. AVG. *Imp. cum diademate gemmato.*

(*d*) VOT. X. MVLT. XX. RV. CONOB. *Imp. habitu conſulari ſedens, dextra globum, ſiniſtra ſceptrum.*

D. N. PLA. *alii* PLAC. VALENTINIANVS P. F. AVG.

(*e*) VICTORIA AVGGG. RV. CONOB. *Figura milita-*

(*a*) Hunc nummum cum Bacchinio libentiſſime referimus ad annum ipſum, quo Conſtantius in Imperii ſocietatem aſſumtus eſt. In eo autem Conſtantii indicantur triumphi, de quibus Hiſtorici.

(*b*) De Occid. Imp. ad ann. 430.

(*c*) Hujus Ædis conſtructio Placidiæ maxime tribuenda eſt, quæ per id tempus, Valentiniano puero, omnia ad nutum moderabatur. Patet id ex Inſcriptione ipſa, quam ad grammaticæ canones accommodatam exhibet Bacchinius ibidem p. 313. *Beatiſſimo Apoſtolo Johanni Evangeliſtæ Galla Placidia Auguſta cum Filio ſuo Placido Auguſto, & Filia ſua Grata Honoria Auguſta liberationis periculo maris votum ſolvit.* (*d*) Vicennalia in nummo expreſſo annum 435. reſpiciunt. Celebravit quoque Tricennalia, ut conſtat ex ipſius nummo, ac Placidiæ, quæ adverſus Baronium ſpectare ad annum 453. docet Pagius in Prolegomenis ad Differt. Hypat. n. 30.

(*e*) Refer ad ann. 438. cum Ducangio ac Mediobarbo, quo Piratæ Vandali

litaris ſtans, dextra Crucem elevans, ſiniſtra globum cum Victoria ſertum tenente: dextro pede ſerpentem capite humano calcans.

XXV.

AN Eudoxiæ Valentiniani Uxoris nummi apud nos ſcalpti ſuperſint, ignoro, quum unum tantum apud monetarum Editores viderim, in cujus parte adverſa litteras R. M. quæ cernuntur; libet cum Bandurio, ac Muratorio interpretari *Romana*, vel *Romæ moneta*, ſive potius in noſtra hypotheſi *Romæ*, quam *Ravennæ moneta* cum aliis: non enim adeo patriam diligimus, ut, quæ illam vel leviter deſignare videantur, aucupemur. Si quis tamen velit eas litteras Ravennæ adjudicare, haud repugnabimus, dicemusque cum Poeta:

Utque ego non ſperno, ſic acceptiſſima ſemper
Munera ſunt, auctor quæ pretioſa facit.

Non abs re tamen fuerit ſi illum exſcribamus.

Aur. LICINIA. EVDOXIA. P. F. AVG. *Caput Mulieris corona redimitum, in cujus medio Crux.* SALVS REIPVBLICAE. R. M. COMOB. *Figura radiata ſedens, globum cum Cruce dextra, ſiniſtra vero Crucem longam geſtans.*

XXVI.

IDEM affirmandum eſt de rariſſimis duobus Honoriæ nummis, quos cum ſuperioribus ſingulis exhibent Ducangius, Bandurius, ac Mediobarbus. Quum nullam notam præter COMOB in poſtica referant, non immerito Ravennæ tribui poterunt: in hac enim Urbe ab Eugenio Procuratore ſtupra-

li Siciliam populantes profligati ſunt, eorum Duce capto, atque interfecto; ni per ſerpentem humanum caput exhibentem Attilam intelligere velis, & ea Scripturæ verba heic apponere: *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.*

ſtuprata (*a*) concepit. Quod fuit in cauſſa, cur a Valentiniano Fratre expulſa Conſtantinopolim apud Theodoſium ſeceſſerit. Eam *Auguſtam* dictam (*b*) teſtantur marmora: *Salutem* vero *Reipublicæ* nummi. Mirum hoc adpellat Bandurius, nosque id factum putamus, vel quadam Auguſtis adulandi conſuetudine, vel quod Valentinianus, ad impetrandam ab Attila pacem, a qua Imperii ſalus pendebat, eandem ſe illi conjugem daturum cum Regni parte promiſerit. Id ne acciderit, Attilæ interitu factum eſt.

Aur. D. N. IVST. GRAT. HONORIA. *Auguſta cum diademate ex unionibus.*
SALVS REIPVBLICAE. *Chriſti monogramma in corona quercea*. COMOB.
(*c*) CXVX *in laurea apud Noriſium*. Mediob.

XXVII.

Petronii Maximi, qui, interfecto Valentiniano, Imperium Eudoxiamque uſurpavit, nullum vidimus nummorum cum litteris R V. Fortaſſe id accidit, quod Ravennæ minime ſederit, ac tertio Imperii menſe a milite quodam (*d*), ſive, ut alii tradunt, a Populo interfectus, laniatusque fuerit. Huic Maximo convenire Inſcriptionem eam, quam ubi de Conſtantio ageremus indicavimus, cum Tillemontio probabiliter conjectamus. Eisdem de cauſſis fortaſſe deſunt Aviti nummi ad Ravennam referendi; nunquam enim Ravennam vidit, & primo, vel, ut alii tradunt, ſecundo Imperii anno dejectus eſt.

XXVIII.

(*a*) Honoriæ ſtuprum ex Marcellino ann. 435. accidiſſe, Theodoſio XV. & Valentiniano IV. Coſs. colligit Baronius. Vide Bacchin. loco nuper laudato de eo late differentem.
(*b*) Conſulendus Bandurius Tom. II. p. 576.
(*c*) Extat etiam apud Janum Plancum V. Cl. ut nos per litteras monuit.
(*d*) Paull. Diac. l. 5. Jornand. de Reb. Get. Cedren. aliique.

XXVIII.

Fl. Julii Majorani, qui a Leone Orientis Imperatore Magiſter militum dictus, atque ad Imperium occupandum miſſus, prope Ravennam A. C. 457. Auguſtus ab exercitu renunciatus eſt, ſingularem nummum vidi cum litteris R V apud Ducangium, quem ad victorias, quas Majoranus a Theodorico Viſigothorum Rege anno 460. retulit, ſpectare arbitror. Anno 458. Ravennæ aliquot menſes moratum eſſe, ibique nonnullas leges promulgaſſe, ferunt Hiſtorici. (*a*) Imperavit hic Princeps annos quatuor, menſes ſex, interfectusque eſt ad Hyram fluvium Ann. 461. VII. Id. Auguſti, ut docet Pagius, quum IV. Nonas ejusdem menſis a Ricimere captus, Imperioque abdicare coactus fuiſſet.

Aur. D. N. IVLIVS MAIORANVS P. F. AVG. *Caput galeatum haſtam tenens cum pelta, in qua viſitur Chriſti monogramma.*
VICTORIA AVGGG. COMOB. RV. *Figura militaris ſtans, dextra labarum cum Cruce, ſiniſtra globum cum victoria.*

XXIX.

Libii Severi nummum cum litteris R V exhibet Ducangius (*b*), & alterum Mediobarbus (*c*), in quorum poſtica per Draconem ibi expreſſum fortaſſe Genſericus Vandalorum Rex eſt interpretandus, cui acriter reſtitit Severus, quum objectas Africæ Inſulas incurſaret Anno 461. Vicit quoque, interfecitque hic Princeps per Ricimerem armorum Ducem Ann. 464. Bergomi Begorem Alanorum Regem qui ſuperatis Alpibus in Liguriam deſcenderat. Obiit quarto Imperii ſui anno nondum expleto, vel potius, ut alii tradunt, Ricimeris fraude, Romæ cum eſſet, veneno ſublatus eſt.

Aur. D. N. LIBIVS SEVERVS P. F. AVG. *Imp. cum ſerto ex duplici unionum filo.*

D SA-

(*a*) Sigon. de Imp. Occid. lib. 14. Rub. lib. 3.
(*b*) Tab. 23. (*c*) Pag. 548.

SALVS REIPVBLICAE. RV. *Imp. ſtans dextra Crucem, ſiniſtra globum, dextro pede Draconem calcans.*

VICTORIA AVGGG. R. A. *eodem typo.*

XXX.

Fl. Anthemii, qui Libio Severo ſucceſſit, quique a Ricimere per id tempus omnia nutu ſuo moderante, cui Filiam in Matrimonium collocarat, anno Imperii ſui ſexto inchoato occiſus eſt, nullum vidi nummum litteras R V præferentem. Id fortaſſe contigit, quod nunquam Ravennam venerit: quamvis non inficiar ſuſpicari aliquem poſſe, ipſius monetas, quæ nullam, præter litteras CONOB, in poſtica exhibent notam (*a*) Ravennæ eſſe adjudicandas. Id quoque de Flavio Anicio Olybrio dicendum puto, qui eodem anno, Leone, ac Ricimere opem ferentibus, Auguſtus eſt renunciatus, ſeptimoque, vel octavo Imperii ſui menſe occubuit, fato ne, an veneno, incertum.

XXXI.

Fl. Glycerii, qui poſt interregnum menſ. quatuor, dier. duodecim III. Non. Martias prope Ravennam, quum Romanus Senator eſſet, factus eſt Imperator, nummus ſingularis cum litteris R V extat in Theſauro Theupol. Quum vix integrum Annum regnarit, a Julio Nepote deturbatus eſt. Quid ſibi velit Draco in nummo expreſſus, ignoro: ni ad Vindemirum Oſtrogothorum Regem, quem ille donis ab Italia avertit atque in Gallias miſit, referendum putemus. Sed, ut alibi advertimus, in nummis cudendis ſæpe eodem typo utebantur *monetarii*, quo ſuperiorum Imperatorum æs ſignarant; proindeque perperam antiquitatis cultores ea nonnunquam in ejuſmodi monumentis cernere ſibi videntur, quæ ne ſomniando quidem auctores cogitarunt.

Aur. D. N. GLYCERIVS P. F. AVG. *Imp. cum diademate ex unionibus.*

VICTO-

(*a*) Ibidem.

(*a*) VICTORIA AVGGG. RV. COMOB. *Imp. Draconem conculcans.*

XXXII.

JULII Nepotis, qui A. C. 474. Glycerio dejecto, Imperium invaſit, nummum cum Ravennæ nota exhibet Ducangius tab. 23. In ipſius poſtica per victoriam Auggg. triumphus ille fortaſſe exprimitur, quem Zenone, ac Leone Iſaurico faventibus retulit, Glycerium pellendo: fuerat enim Occidentis Imperio deſtinatus a Zenone, a quo Neptem Conjugem acceperat, quum Glycerius interea regno per fraudem potitus eſſet. Solio dejectus fuit ab Oreſte exercitus ſui duce, qui militari favore fretus, poſt interregnum menſium duorum, ac trium dierum, Imperatorem dixit Fl. Momyllum Auguſtulum filium. Laudatus nummus ſic deſcribitur in Occone aucto. (*b*)

Aur. D. N. IVLIVS NEPOS P. F. AVG. *Imp. cum ſtemmate criſtato, dextra ſpiculum, læva clypeum, cui eques inſcriptus.*
VICTORIA AVGGG. RV. COMOB. *Victoria Crucem tenens: ad latus ſtella.*

XXXIII.

IMPERIALIUM nummorum agmen claudit moneta Auguſtuli (*c*), ſub quo Occidentis Imperium corruit A. C. 476. Indictione XIIII. Baſiliſco, & Armato Coſs. Dejectus is fuit ab Odoacre, decimo Imperii menſe, & in Lucullanum pulſus:

Aur....... L. AVGVSTVL. P. F. AVG. *Imp. cum duplici unionum filo.*

(*a*) Occo auct. p. 551. (*b*) Pag. 553.
(*c*) Imperatorem hunc non Momulum, vel Momylum, ſed Romulum, neque Auguſtulum, ſed Auguſtum dicendum eſſe auctoritate nummorum docet Bandurius Tom. II. pag. 674. In noſtro igitur nummo pro Auguſtulo Auguſtum lege.

(*a*) RV. *Figura militaris galeata*, *dextra haſtam*, *ſiniſtra cornucopiam tenens*.

Si cui autem in Imperatorum, qui Ravennæ ſederunt, nummis interpretandis audaciores, quam par erat, fuiſſe videamur, ſciat Eruditorum morem ſecutos eſſe, qui conjecturis plurimum tribuunt, mutare ſententiam parati, atque in alienam abire, (*b*) ut de ſe ipſo inquiebat Jacobus de Bery, ubi conjecturæ probabiliores, & rationi conſentaneæ magis accedant. Venio nunc ad ea, in quibus paſſim evidentiam haud deſideres.

(*a*) Illum, ut exhibemus, deſumſimus ex Ducang. Conſt. Chriſt. Tab. 24. & ex Mediob.

(*b*) In Epiſtola, quæ extat in *Hadriani Relandi Paleſtina* apud Ugolinum, *Antiq. Sacr.* Tom. IV. p. 894. & ſeq.

CA-

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

De Barbarorum Regum Nummis, qui Ravennæ Imperii ſui ſedem collocarunt.

I.

QUUM eo deducta res ſit, ut de Regum Barbarorum, qui Ravennæ ſederunt, nummis loqui debeamus, ab Odoacre exordiamur neceſſe eſt. Nulla, quod ſciam, illius moneta ſupereſt: verum libentiſſime Muratorio aſſentior opinanti ab eo quoque pecunias fuiſſe ſignatas: probabile ſiquidem eſt, conſtituta ſemel Ravennæ nummaria officina, numquam morem cudendorum nummorum ibi deſiiſſe, quum præſertim per vim Odoacer Italiam occuparit, eamque XVII. circiter ante Oſtrogothorum adventum tenuerit annos, regio tantum nomine, ſed ſine inſignibus, ut teſtatur Caſſiodorius in Chronico; quumque *Ravennæ* (*a*), *inſtituto jam ab Auguſtis exemplo, Regni ſedem locavit*. Magis autem patebit per ea tempora *Monetam*, vulgo *la Zecca*, Ravennæ extitiſſe, ſi perpendamus, quæ commentatur doctiſſimus Garetius (*b*), docens, Odoacrem monetam, cui Caſſiodorius aliquando præfuit, percuſſiſſe.

II.

DE Theodorico pariter Oſtrogothorum Rege, qui Zenonis hortatu, atque conſilio adverſus Odoacrem arma movit, illumque poſt nonnullas relatas victorias per fraudem necavit, dubitatur ab eruditis: nam qui ſolet proferri ipſius nummus Romæ ſcalptus, ex Strada ſuſpectæ fidei auctore deſumitur; (*c*) communiorque eruditorum ſententia eſt in Italiæ

(*a*) Sigon. de Occid. Imp. l. xv.

(*b*) In vita Caſſiodorii, quam ipſius Operibus ab ſe adnotationibus illuſtratis præfecit.

(*c*) Advertimus heic cum Patre Salinas (ad Sigonii locum nuper laudatum)

liæ Regno, quod Auguſtorum beneficio moderabatur, numquam id juris uſurpaſſe. Aſt falluntur qui ita ſentiunt, quum Muratorius Theodorici nummum Romanæ officinæ notam præferentem ſe vidiſſe affirmet, mihique teſtimonia ſint ſtatim ſubjicienda, quæ Stradæ nummum haud fictum, corruptumve oſtendant. Non inficior tamen aliquot etiam hujus Regis extitiſſe monetas, in quarum antica Imperatoris, qui per id temporis in Oriente ſedebat, effigies cerneretur, ut colligere eſt ex quodam nummo, qui in anteriori parte Juſtini effigiem præfert; in adverſa vero, non Romanæ officinæ ſignum, ſed Theodorici monogramma, ut Ephemeridum Florentinarum auctores optime ſentiunt, (*a*) Bandurium ſecuti, qui nummum hunc cum altero Anaſtaſii eandem poſticam præferente ex Muſeo Philippi Stoſchii V. Cl. contulerunt, in eoque præter litteras a Muratorio obſervatas, T, & E pariter, quæ ad Theodorici nomen exprimendum requiruntur, ſibi cernere viſi ſunt. Miror autem Muratorium litteras RAOSD in nummo detectas interpretari: *Romæ obſignatus denarius*; quum ratio in hiſce interpretationibus ſervanda requirat, ut *Ravennæ* potius *obſignatus denarius* dicatur.

III.

Prior ratio qua utor, ut probem Theodoricum in Italia, ac Ravennæ præſertim nummos percuſſiſſe ſua impreſſos imagine, duobus Caſſiodorii teſtimoniis innititur. Primum deſumitur ex Variarum lib. VI. ubi ſic Theodorici nomine loquitur in *formula Comitivæ Sacrarum Largitionum*. *Supplicum per te fortunas erigimus, Kal. Januariis affatim dona largimur, & lætitia publica militia tua eſt. Verum hanc liberalitatem noſtram alio decoras obſequio, ut figura vultus noſtri metallis uſualibus imprimatur, monetamque facis de noſtris temporibus futura ſæcula commonere. O magna inventa prudentum! O laudabilia inſtituta majorum, ut & ima-* go

tum) duplicem epocham Regni Theodorici eſſe ſtatuendam: alteram ad ann. 489. quo Odoacrem Veronæ ſuperavit; alteram vero ad ann. 493. quum Odoacer ab eo interfectus eſt. Priorem ſecutus eſt Procopius Hiſt. Goth. lib. I. poſteriorem reliqui auctores.

(*a*) Tom. I. P. II. pag. 617.

Digitized by Google

go Principum ſubjectos videretur paſcere per commercium, quorum conſilia invigilare non deſinunt pro ſalute cunctorum. Sed huic, ut ita dixerim, munerariæ dignitati, præconem largitatis noſtræ, publicæ felicitatis indicium, locum quoque Primiceriatus adjungimus, ut per te demus honores, per quem & noſtræ pecuniæ conferimus largitates. Alterum depromitur ex *Formula, qua moneta committitur*, ubi hæc habentur (*a*) *: Omnis quidem utilitas publica fideli debet actione compleri: quia totum vitioſum geritur, ubi conſcientiæ puritas non habetur. Tamen omnino monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noſter imprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum ſi in noſtra peccetur effigie, & quod ſubjectus corde venerari debet, manu ſacrilega violare feſtinet? Additur quod venalitas cuncta diſſolvit, ſi victualia metalla vitiantur: quando neceſſe eſt reſpui, quod in mercimoniis corruptum videtur offerri. Quis ergo patiatur unius eſſe commodum diſpendia ſceleſta cunctorum, ut deteſtabile vitium venire poſſit ad pretium? Sit mundum, quod ad formam noſtræ Serenitatis adducitur. Claritas regia nil admittit infectum. Nam ſi vultus cujuslibet ſincero colore depingitur; multo juſtius metallorum puritate principalis gratia cuſtoditur &c.*

IV.

PERCUSSIT igitur nummos ſua effigie Theodoricus, qui ad Ravennam præcipue ſunt referendi, quo tempore Caſſiodorius ei ab epiſtolis fuit (*b*); quum enim iis muneribus ſumma cum laude functus eſſet, quæ ſibi ab Odoacre fuerant demandata; adeo ſe Theodorico probavit, ut ad ejus Aulam acceſſerit, ibique ingenii, probitatisque ſuæ complura præbuerit monumenta. Patet hoc cum innumeris aliis ex locis, tum præcipue ex libro primo Variarum, ep. 4. ubi Theodoricus de Caſſiodorio ſic loquitur. *His itaque ſub præcedenti Rege gymnaſiis exercitatus, emeritis laudibus ad palatia noſtra pervenit.*

V. VE-

(*a*) Variar. lib. VII. (*b*) Garetius in vit. Caſſiod.

V.

Verum ut clariora hæc fiant, advertendum eſt cum Ducangio (*a*) hac conditione Italiæ Regnum Barbaris conceſſum fuiſſe, ut nempe Imperatores *tamquam ſupremos Dominos agnoſcerent*, *monetamque eorum imagine cuderent*, *nominibus ſuis iiſdem tantummodo inſcriptis*. Poſteriori huic conditioni Barbaros non ſemper obtemperaſſe oſtendimus, Theodorici exemplum fortaſſe ſecutos, quem nummos ſua imagine ſignaſſe clare evincitur cum allatis Caſſiodorii teſtimoniis, tum nummo, quem ſe vidiſſe teſtantur Strada, ac Muratorius, cui libentiſſime aſſentior dicenti, Theodorici potentiam *ejuſmodi onere eum levaſſe:* quique propterea illud privilegium uſurpavit, quod Francis Regibus peculiare tantum erat, ſignandi videlicet nummos eorum effigiem præferentes. De hoc fidem facit Procopius ſic de Francis loquens: (*b*) *Nummos cudunt ex auro gallico, non Imperatoris, ut fieri ſolet, ſed ſua impreſſos effigie. Monetam quidem argenteam Perſarum Rex arbitratu ſuo cudere conſuevit: auream vero neque ipſi, neque alii cuipiam Barbororum Regi, quamvis auri Domino, vultu proprio ſignare licet.* Ad quæ verba longe ante Muratorium adverterat etiam Doctiſſimus Petavius (*c*) inquiens: *Ad hæc anno* 548. *Juſtinianum eosdem demereri Francos cupientem, Provinciæ poſſeſſionem ſuo iis decreto confirmaſſe; & ex eo tempore Arelate certamen equeſtre celebraſſe, ac ſolidos aureos ex Gallicanis metallis, non ut gentes ceteræ, etiam Perſæ, Romani Imperatoris effigie, ſed ſuapte ſignaſſe, ſcribit Procopius.*

VI.

Alteri vero conditioni, ut nempe Imperatores ſupremos Dominos agnoſcerent, certo conſtat ex Scriptoribus aliquando Gothos Reges ſtetiſſe, aliquando vero eam ſpreviſſe. Theodoricum certe eidem ſe ſubjeciſſe tradit Caſſiodorius.

(*a*) De Inf. Æv. Nummiſm. num. LXXII.
(*b*) De Bello Gothico lib. 3. cap. 33.
(*c*) Rationar. Temp. Part. I. lib. VII. cap. VI.

rius. Nam ut prætereamus quæ habentur lib. I. Variarum epiſt. 4. ſat id perſpicuum fit ex ejusdem priori lib. II. epiſtola, qua de Felice Gallo ab ſe Conſule creato Anaſtaſium facit certiorem his verbis:

Piiſſimo Anaſtaſio Imperatori
Theodoricus Rex.

Admonet nos conſuetudo ſolemnis dare faſtis nomen, ornamentum proprium Romæ, terrenam Curiæ claritatem, ut per annorum numerum decurrat, gratia dignitatum, & beneficiis Principum ſacretur memoria ſæculorum. Felix a Conſule ſumat annus auſpicium, portamque dierum tali nomine dicatus annus introëat, faveatque reliquæ parti fortuna principii. Quid enim credi poſſit optatius, quam ut alumnos proprios ad ubera ſua Roma recolligat, & in venerando nominis cœtu Senatum annumeret Gallicanum? Agnoſcat Curia transalpini Sanguinis decus, quæ non ſemel coronam ſuam nobilitatis ejus flore veſtivit. Novit inter reliquos faſces viros inde ſumere conſulares, qui longo ſtemmate ducto per trabeas, lege temporum originarius eſt honorum. Atque ideo vos, qui utriusque Reipublicæ bonis indiſcreta poteſtis gratia delectari, jungite favorem, adunate ſententiam. Amborum judicio dignus eſt eligi, qui tantis faſcibus meretur augeri.

VII.

IMPERATORIBUS igitur aliquando obtemperavit Theodoricus, aliquando vero eos ſprevit, nummos cudendo ſuam imaginem præferentes. Id fortaſſe fuit in cauſſa cur ſimultates cum eodem Anaſtaſio exercuerit. Eæ ſatis indicantur per priorem Theodorici Epiſtolam, qua illum rogat, ut intermiſſam ſibi pacem reſtituat, idque ea animi moderatione præſtat, quæ ipſius obedientiam, demiſſionemque ſatis confirmet. Juvat pauca ex eadem delibare, ut evidentius conſtet, quod hactenus commentati ſumus.

(a) Anaſtaſio Imperatori
Theodoricus Rex.

Oportet nos, Clementiſſime Imperator, pacem quærere, qui cauſſas iracundiæ cognoſcimur non habere: quando ille moribus obnoxius jam tenetur, qui ad juſta deprehenditur imparatus..... Et ideo, Piiſſime Principum, potentiæ veſtræ convenit, & honori, ut concordiam veſtram quærere debeamus, cujus adhuc amore proficimus..... Quapropter ſalutationis honorificentiam præferentes, prona mente depoſcimus, ne ſuspendatis a nobis manſuetudinis veſtræ glorioſiſſimam charitatem, quam ego ſperare debui, etiam ſi aliis non videretur poſſe concedi. Cætera vero per latores præſentium pietati veſtræ verbo ſuggerenda commiſimus, ut nec epiſtolaris ſermo redderetur extenſior, nec aliquid pro utilitatibus noſtris prætermiſiſſe videremur &c.

VIII.

Agenti de Theodorico liceat mihi breviter ſcrutari, num ipſe cum regia poteſtate ac nomine regia quoque inſignia ſumſerit. Affirmat Jornandes, inquiens: (b) *tertioque ut diximus anno ingreſſus in Italiam, Zenoniſque Imperatoris conſulto privatim habito* (alii legunt *privatum habitum*) *ſuæque gentis veſtitum reponens, inſigne Regii amictus, quaſi jam Gothorum, Romanorumque regnator aſſumſit*. Procopius autem videtur aliter ſentire, ubi inquit (c): *At licet Imperatoris nec inſignia, nec nomen uſurpare voluerit, ſed vixerit contentus Regis appellatione, qua Barbari ſupremos Principes ſuos donare conſueverunt; tamen ſubditis ita præfuit, ut ipſi nihil defuerit eorum, quæ ſunt Auguſtorum moribus conſentanea*. Diſſentiunt igitur laudati Auctores, ni ſub Regis appellatione regia quoque inſignia deliteſcere arbitremur. Incredibile enim videtur eum Principem, quem Jornandes

(a) Baronius (ut obſervat Garetius) putat hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe anno 493. Legatos vero fuiſſe Fauſtum, & Ireneum. Vid. T. VI. Annal. p.476. Edit. Antuerp.
(b) De Regnor. Succeſs. C.LVII.
(c) De Bell. Goth. cap. primo, Maltretio Soc. Jesu interprete.

des (*a*) *Gentium Regem* adpellat, maximum hoc ornamentum reſpuiſſe. Sigonius certe ſolertiſſimus Scriptor cum Jornande conſentit, (*b*) ubi ait: *Superiorum Imperatorum exemplo Ravennæ Regni ſedem firmavit, atque omnino inſtituit Regnum Imperii ex omni parte ſimillimum*.

IX.

NON prior tamen Theodoricus Regiam hanc appellationem uſurpavit, ut ex Guillelmo Fornerio opinatur Garetius (*c*), quum ante eum, ut ſupra innuimus, Odoacer ſe Regem dixerit. Ita Caſſiodorius in Chron. *His Coſs.* (Baſiliſcus II. & Armatus) *ab Odoacre Oreſtes, & frater ejus Paullus extincti ſunt, nomenque Regis Odoacer aſſumſit, quum tamen nec purpura, nec regalibus uteretur inſignibus*. Ut ut ſit, liquido apparet cognoviſſe Theodoricum Cæſaris dominationem, ſed ita ei fuiſſe perſpectam, ut *ipſi nihil defuerit eorum, quæ ſunt Auguſtorum moribus conſentanea:* ac proinde optime intelligitur quomodo ab Imperatorum Legibus deflexerit, nummos cudendo, in quibus propria effigies cerneretur. Ad monetas noſtras modo revertamur.

X.

PRÆTER deſcriptum a Strada, ac Muratorio nummum, præterque alterum Theodorici, ut diximus, monogramma præferentem, extat & quoddam quadrangularis formæ fruſtum, ſic a Muratorio deſcriptum (*d*). *Rariſſimum fruſtulum antiquitatis ad inclytum illum Regem pertinens exeram, quod Mutinenſi ex urbe in ſuum Muſeum intulit Cl. V. Apoſtolus Zenus, antiquorum monumentorum venator indefeſſus, hoc eſt nummum æreum* (*ita tantiſper adpellare liceat*) *quadrangularis formæ, non minoris craſſitudinis, quam numiſ-*

(*a*) De Regn. Succeſs. pag. m. 240.
(*b*) De Occid. Imper. lib. II.
(*c*) In Not. ad priorem epiſtolam Theodorici apud Caſſiodor. ubi inquit: *Hic primus ſe Regem dixit, quum Odoacer ante eum ſe Imperatorem Romanum diceret*.
(*d*) Ital. Med. Æv. Tom. II.

mata majoris moduli. In altera facie leguntur litteræ iſtæ D. N. THEODERICI. In altera una tantum littera viſitur, ſed exeſa, formam T. referens, quæ fortaſſis eſt initialis nominis Theoderici, & corona laurea, ſeu quercea circumdatur. Duplex heic rarum occurrit. Alterum quod in exteriori limbo nummi (italice nel contorno) *litteræ iſtæ leguntur: CATULINUS. V. C. ET I .... L.... P. F. V. Alterum quod tum ipſius Theoderici, tum Catulini nomina litteris conſtant in ære cavatis, atque argento oppletis. In nomine Theoderici adhuc fere omnes litteræ ſuperſunt: e Catulini nomine præter duas, aut tres, quæ remanent, reliquæ exciderunt, ſuperſtite earum veſtigio in ære.* Gradum deinde facit Cl. Auctor ad Catulinam gentem, quam putat cum Catullina confundi poſſe, multaque ad ipſam ſpectantia eruditiſſime colligit.

X I.

(*a*) Theoderico ſucceſſit Athalaricus ex Amaleſunta Filia Nepos, qui octo dumtaxat regnavit annos; octavum enim agebat, quum ad gubernacula Imperii acceſſit, decimum vero ſextum, quum immatura morte ſublatus fuit. Gothorum ſimul, ac Romanorum ab Avo creatum Regem, ſuique ſucceſſorem, utriſque hiſce populis ſuffragium ferentibus, patet ex aliquot ejus epiſtolis ad Juſtinum, ad Senatum Romanum, atque ad alios conſcriptis, quas quiſque apud Caſſidorium conſulere poterit (*b*). Juſtiniano autem, qui Juſtino ſucceſſit, numquam non obedientiam præſtitiſſe Athalaricum, nullaſque cum illo ſimultates exercuiſſe liquet cum ex nummis, qui vel Imperatoris imaginem, vel caput Romæ galeatum exhibent, tum ex humillimis, quibus uſus eſt verbis, quum ad Cæſarem ſcriberet. In ipſius nummis, rari nil exhibentibus, haud diutius immorabimur: id enim ſatis

(*a*) Caſſiodor. Procop. Jornand. aliique.

(*b*) Juvat heic pauca deſcribere ex epiſtola ad Liberium Galliarum Præfectum, apud Caſſiod. lib. 8. Variarum: *In Sellam Regni ſui nos dominos collocavit, quatenus decus generis, quod in illo floruit, in Succeſſore protinus æquali luce radiaret, cui ordinationi Gothorum, Romanorumque deſideria convenerunt.*

ſatis præſtitere, qui eos collegerunt, publicique juris fecerunt. Eorum ſeriem accipito ex Occone aucto.

Æ. D. N. ATHALARICVS REX. S. C. *Figura ſtans dextra haſtam (a) ſiniſtra clypeum tenens.*
INVICTA ROMA. *Caput galeatum.*
D. N. ATHALARICVS REX *in laurea*
INVICTA ROMA. *Caput galeatum.*
Ar. D. N. IVSTINIANVS. AVG. *Caput Imp.*
D. N. ATHALARICVS REX *in laurea.*

XII.

ATHALARICUM excepit Theodahatus ab Amaleſunta Conſubrina illi ſuffectus in Regnum anno 534. (*b*) Hujus Nummi, modo ſuam, modo Juſtiniani imaginem referentes, diligentius nobis ſunt perpendendi. Crediderim diſcrimen hoc illis eſſe diſcordiis tribuendum, quæ Theodahatum inter, ac Juſtinianum ortæ ſunt, quas, non abs re erit, ſi levi calamo attingamus. Prior harumce ſimultatum cauſſa nex fuit Amaleſunthæ illata, quæ eum ſibi matrimonio conjunxerat (*c*). Theodoram Juſtiniani uxorem, veritam ne Imperator Amaleſuntham ſibi anteferret, Theodahatum ad id criminis impuliſſe, Auctor eſt Procopius in Anecdotis. Quæ odia cœpiſſe poſtquam conjux immemor conſanguinitatis, poſt aliquantulum tempus a Palatio Ravennate abſtractam in Inſulam laci Vulſinenſis eam exilio relegaſſet, adfirmat Jornandes. (*d*) Hinc autem fortaſſe factum eſt, ut nullus Amalaſunthæ nummus ſuperſit. Incredibile enim pene eſt, quam varius, efferus, ſubdoluſque Theodahatus fuerit; nam poſtquam ſummis Conjugem laudibus, ad Cæſarem ſcribens

(*a*) Hos nummos quoque Ravennæ ſignatos putamus, quod Gothorum Reges heic iis temporibus ſederent. Idem dicendum de reliquis illorum monetis, ea excepta, quæ ad Ticinum ſpectat, de qua inferius loquendum erit. Ad Ravennam certe refert Muratorius.

(*b*) Caſſiod. Variar. lib. x. epiſt. 6. & 7. ex quibus doctiſſime colligit Garetius in vita ejusdem Caſſiodorii §. 40. id circa medium, vel ſub finem anni contigiſſe.

(*c*) Jornand. cap. 53. aliique. (*d*) Ibidem.

bens (*a*) exſtuliſſet, ad necem eam eſt perſecutus. Altera tandem Theodahati cum Ceſare ſimultatum cauſſa inde orta eſt, quod Imperatorem feſellerit, ejusque Legatos, poſtquam promiſiſſet, ſe Italiæ Regnum eidem ceſſurum, ſi certam ſibi pecuniam ſolviſſet. Ita Procopius (*b*): *quando amoliri utrumque licet (bellum inquam, & Regnum) mihi certe neutrum arridet: hoc quidem quoniam ſatietate mulctatur, atque faſtidio: illud vero, quia rerum inſolentia perturbationem parit. Si modo habeam prædia, unde mihi quotannis auri pondo ſaltem mille, & ducenta proveniant, regnum ſic poſthabebo, ac tibi Gothorum, Italorumque, Imperium tradam..... Age eum ocyus huc virum deſtina, cui conveniat a me Italiam, & quicquid ad Regnum ſpectat accipere*. Quibus miſſis Legatis a Cæſare illuſit, illosque eo loco habere cœpit, quo abjecti homines haberi ſolent. Qua re commotus Juſtinianus anno Ch. 535. Gothis bellum indixit, ac Beliſario Duce, concurrentibus in Dalmatia exercitibus æquo marte dimicatum eſt, (*c*) magnaque utrinque clades conſecuta. Hoc prælio fortaſſe elatus nummos ſignavit Theodahatus hanc Epigraphen præferentes: VICTORIA PRINCIPIS. Verum belli fortuna brevi commutata, ingenti ditionis parte ſpoliatus eſt; quo deinde factum, ut Gothi conſpirantes Vitigem ſibi Regem elegerint, Theodahato paullo poſt, dum Ravennam ſe reciperet, jugulato. Duos circiter annos regnavit, hosque nummos ſcalpi curavit, quos ex Occone aucto deſcribimus:

Æ. D N THEODAHATVS REX. *Ipſius caput cum corona pileum referente.*
(*d*) VICTORIA PRINCIPV. *Victoria dextra lauream, ſiniſtra palmam.*

VI-

(*a*) Vide Caſſiod. Variar. l. x. ep. 4. ubi eam adpellat *Dominam rerum, & toto orbe glorioſam*; & epiſt. 2. in qua hæc habentur: *ab ejus judicio..... me nullatenus deviare certiſſimum eſt, quæ tanta ſapientiæ luce reſplendet, ut & propria regna mirabili diſpoſitione componat & promiſſam cunctis gratiam robuſta firmitate cuſtodiat.*

(*b*) Cap. v. ubi ſe Muſis deditum, impotentem ad bellum ultro fatetur.

(*c*) Idatius cap. v.

(*d*) In hac inſcriptione *Principum* loco *Principis* legimus in aliquot nummis, quos propriis oculis uſurpavimus.

VICTORIA PRINCIPVM. S. C. *Victoria roſtro navis inſtans, dextra lauream, ſiniſtra palmam.*

VICTORIA PRINCIPVM S. C. *Eodem Typo, ſed litteris C. & R inverſis.*

D N THEODAHATVS.

VICTORIA PVBLICA REST. *Victoria gradiens, dextra lauream, ſiniſtra palmam, ad pedes lituus.*

THEODAHATVS REX. *Caput ipſius.*

VICTORIA AVGVST. *Victoria gradiens.*

D N THEODAHATVS REX *in laurea.*

INVICTA ROMA. *Caput galeatum.*

XIII.

REX Italiæ ann. 536. renunciatus Vitiges, nummos quidem percuſſit, ſed ſua haud quaquam ſignatos imagine. Id ne faceret in cauſſa fortaſſe fuerunt tumultus, ac bella, quæ cum Beliſario ſtrenuiſſimo Juſtiniani duce geſſit, metuens ne adverſo Marte pugnanti ea ſibi acciderent incommoda, quæ Theodahato noverat contigiſſe. Captum a Beliſario Vitigem, & Conſtantinopolim perductum auctor eſt Procopius de eo ſic ſcribens: *Quod audiens Vitigis* (Romam nempe a Beliſario captam) *omnem Gothorum exercitum congregat, Ravennaque egreſſus, Romanas arces obſidione longa fatigat; ſed fruſtrata ejus audacia, poſt quatuordecim menſes ab obſidione Romanæ urbis aufugit, & ſe ad Ariminenſem oppreſſionem præparat; unde pari tenore fruſtratus, fugatusque Ravennam ſe recepit, ~~& obſeſſus, nec mora,~~ ultro ſe ad partes dedit victoris cum Malaſuenta jugali, regiisque opibus, & ſic famoſum regnum, fortiſſimamque gentem ..... tandem victor gentium diverſarum Juſtinianus Imperator per fideliſſimum Conſulem vicit Beliſarium* (a), *& perductum Vitigium Conſtan-*

tino-

(a) Beliſarii Conſulatus contigit anno 535. Ita autem ex Auctoribus, ac Monumentis deſcribitur Tom. II. Rationarii Temp. Editionis Venet. pag. 509.

Beliſarius V. C. ſolus, vel *poſt Conſulat.* Paulini	535.
Poſt Conſulatum Beliſarii V. C. & in Occidente II. p. C. Paulini	536.
Iterum vel *Anno 2. poſt Conſulatum Beliſarii & in Occidente* III. *p. C. Paulini.*	537.

tinopolim Patricii honore donavit. Hæc autem omnia quum ab anno 536. ad 540. geſta ſint, liquet quandonam Vitigis nummi fuerint percuſſi.

Ae. D N IVSTINIANVS AVG. *Caput Juſtiniani*.
D N VVITIGES REX *in laurea*.
D N VVITIGES REX *in laurea*.
INVICTA ROMA. *Caput galeatum*.

XIV.

Succedunt Totialæ, ſive Baduælæ nummi, de quo Rege videnda ſunt, quæ ex Begero, ac Mediobarbo commentatur Bandurius, ubi de ipſius monetis mentionem facit. Is anno 541. a Gothis Rex electus, eorum res everſas omnino, jacentesque reſtituit, ſæpiusque fuſis Romanis exercitibus, ipſam urbem anno 546. recepit. A Narſete victus eſt, interfectusque, quum e prælio fugeret anno regni ſui undecimo. Hujus bella cum Juſtiniani ducibus luculenter deſcribuntur a Procopio, aliisque. Sequentes nummos ex Mediobarbo accipito.

Ar. DOMNO IAV IVVC. *Caput cum diademate*
(*a*) D. N. BADVILA REX *in laurea*.
Ae. D N BADVILLA REX. *Caput Regis*
FIVREAS SMIES. *Miles ſtans*, *dextra* (*b*) *haſtam*, *ſiniſtra clypeum*.
BADVILA REX. *Caput ut ſupra*.
LVRI ARR. X. *Miles ſtans*.
D. N. BADVELA REX. *Protome Regis*
D. N BADVELA REX *in laurea*.

FI-

(*a*) Vides heic Gothicam barbariem, quæ in aliquot etiam horumce Regum nummis cernitur, ubi RIX pro REX uſurpatur, quod Gaſſendus quoque in Peyreſchii vita advertit.

(*b*) Ejusmodi acclamationes quam ab iis differunt, quæ in Auguſtorum nummis viſuntur! Pro omnibus ea ſufficiat, quam Antonini Pii nummi præferunt: *Senatus*, *Populusque Romanus annum novum fauſtum felicem optimo Principi pio*; & altera illa, qua Auguſtis incolumem vitæ diuturnitatem precabantur his verbis: *Multis vicennalibus impera*.

FIVREAZ ZEMPER. X. *Imp. paludatus*, *&* *galeatus*, *dextra haſtam*, *ſiniſtra clypeum*.

D N BADVILLA REX *in laurea*.

FELIX TICINVS. *Caput turritum*, *vel infulatum cum buſto*.

Poſteriorem hunc nummum adjecimus, quamvis putemus Papiæ eum ſignatum fuiſſe: etenim jam inde ab Athalarici temporibus eam Urbem Gothorum ſedem exſtitiſſe, docet marmor a Mediobarbo exhibitum, quod heic afferendum putamus. (*a*)

✠ D.N. ATALARICVS REX ✠
GLORIOSISSIMVS HAS
SEDIS SPECTACVLI ANNO
REGNI SVI TERTIO FIERI
FELICITER PRECEPIT.

XV.

Quicquid tamen in Marmore habeatur, inficiari nequit Ravennam potiori jure Gothorum Regum ſedem eſſe dicendam, omneſque propterea illorum nummos eidem eſſe adjudicandos. Quid enim clarius ad id adſtruendum, de quo eſt ſermo, ab illius ævi Scriptoribus quæri poteſt, qui numquam pæne Gothorum mentionem faciunt, quin Ravennam nominent? Certe per id tempus nummariam officinam in hac Urbe exſtitiſſe ex Papyro evincitur, quam poſt Maffejum Muratorius vulgavit Antiq. Italicarum Diſs. XXII. quæ *de Origine linguæ Italicæ inſcribitur*. Ea anno 540. Ravennæ exarata fuit; in eaque *Vitalis* quidam *Vir Clariſſimus Monitarius* (hoc eſt *Miniſtro della Zecca*) ſubſcribit. De hac officina fit quoque mentio in papyro altera, anno 572. Ravennæ pariter ſcripta, quam Scipio Maffejus ac Franciſcus Blanchinus V. Cl. interpretati ſunt (*b*), ubi tabellionis nomen hoc pacto exprimitur. *Johannis for* (*forenſis* fortaſſe) *habens ſtationem ad monetam auri in porticu ſacri Palatii*.

(*a*) Pag. 568. (*b*) Ille in Hiſt. Diplom. pag. 163. hic vero in epiſt. ad Vincentium Butrighellium apud Callogerà Tom. XIII.

Accedat his omnibus Agnelli auctoritas (*a*): *non longe* (inquit) *a poſterula Ovilionis, in loco, qui dicitur moneta publica*. Et alibi: (*b*) *ex Monaſterio B. Apollinaris Abba fuit, quod eſt fundatum non longe ab Eccleſia S. Redemptricis Crucis ad Monetam veterem*. His autem docemur non modo tunc nummarias officinas Ravennæ exſtitiſſe, ſed eas plures fuiſſe, novam ſilicet, ac veterem (*c*), ubi monetæ aureæ, ac reliquorum metallorum conflarentur.

XVI.

Gothorum Regum, qui Ravennæ ſederunt, quorumque nummi ſuperſunt, agmen claudat Thejas, de quo obſcure ſatis loquuntur Scriptores. Excepit is Totilam anno 552. & ſequenti in acie interfectus eſt, corruitque cum eo Gothorum Regnum in Italia. Nummum Thejæ exhibet Bandurius ex Schedis Harduini, ita expreſſum:

DN ANASTASIVS P. *Caput Anaſtaſii, corona ex margaritis* (*d*) *cinctum ad pectus cum paludamento*.
DOMNVS THEIA REX *in corona*.

XVII.

Antequam de nummis Exarchorum ævo apud nos ſcalptis aliquid dicamus, inquirere liceat, breviterque ſcrutari ſintne ad Gothos Reges an vero ad Exarchos referendæ mone-

(*a*) In vita Reparati P. II. p. 293.

(*b*) In vita Gratioſi ibidem p. 450. Quæ omnia advertit etiam Theſeus a Cornu *Ravenn. Domin.* p. 245. ubi aliqua ad Ravennatem *Monetam* ſpectantia more ſuo colligit.

(*c*) Vides heic confirmari ea, quæ de inſtituta Auguſtorum ævo in hac urbe nummaria officina commentati ſumus. Non enim recens ea officina fuit excitata, quæ per id tempus vetus tunc diceretur. Conſule epiſtolam ad Savernium ad calcem quarti Capitis poſitam.

(*d*) Cernis nummum multo ante, quam Gothi expellerentur, cuſum fuiſſe: teſte enim Procopio Thejas A. C. 553. obtruncatus fuit; Anaſtaſius autem ann. 518. obiit. Cur igitur Thejæ nummi per id tempus ſignati, isque Rex adpellatus? Alii viderint. Malumus enim fateri rem nos, ſilentibus Auctoribus, ignorare, quam de Harduini fide vel leviter ſuſpicari.

Digitized by Google

monetæ, turritum Mulieris caput exhibentes, hac inſcriptione FELIX RAVENNA. Ducangius, Philippus a Turre, Bandurius, Muratorius, quique eos ſubſecuti ſunt, ad Exarchos pertinere arbitrantur: verum nos aliquot haud ſpernendis rationibus innixi a tantorum Virorum ſententia parumper recedimus, atque aliter ſentimus. Videtur in primis minime conſonum Exarchos, Græcorum Imperatorum vices in Occiduis Regionibus gerentes (*a*), quique Præfecti ab iisdem mittebantur, nummos ſignaſſe, eorum effigie in illis neglecta, quæ conditio, ut ante munuimus, Gothis Regibus, quum Italiæ Regnum iis traderetur, lata eſt. Quod igitur jure in tanta Imperii perturbatione haud licuit Barbaris, quos metuebant, nedum oderant Auguſti, id Exarchos, quamvis Regia pene auctoritate ac nominibus donarentur, præſtitiſſe arbitrabimur? Quam enim ſolliciti fuerint Auguſti, ne Exarchi rerum potirentur, conſtat ex Auctoribus, qui eorum temporum Hiſtoriam conſcripſere. Altera ratio inde repetitur, quod ii nummi, qui Exarchorum temporibus ac juſſu dubio procul cudebantur, Imperatorum Protomas, ac nomina referrent, ut capite ſequenti oſtendemus. Unde igitur tanta inconſtantia oriri potuit, ut Auguſtorum nomine, ac forma ſpreta, diverſis eodem tempore typis nummi ab Exarchis ſignarentur? Præterea ſi monetæ ejusmodi perpendantur, meridiana luce clarius erit eas ſimiles adeo Gothorum nummis eſſe, ut ex eadem officina prodiiſſe evidenter appareat. Obſervavit id quoque Apoſtolus Zenus, in Antiquitatis ſtudio nemini ſecundus, qui abs me per litteras interrogatus, quid hac de re ſentiret, mihi mire conſenſit (*b*), illud addens, apud ſe nummum cum epigraphe FELIX RAVENNA exſtare, Athalarici, ac Vitigis monetis ſimillimum, in cujus adverſa parte idem cerni- Tab. I. num. v.

F 2 tur

(*a*) Conſule Rubeum Hiſt. Rav. l. 4. p. m. 175. de Exarchorum nomine, ac munere erudite diſſerentem.

(*b*) Ad Diſſertationis ornatum verba Cl. Viri exhibemus: *Le Medaglie da me vedute con la leggenda* Felix Ravenna, *furono a mio credere battute al tempo de' Goti, non mai al tempo degli Eſarchi. Una che io ne tengo in piccolo bronzo, è ſomigliantiſſima di grandezza, e di fabbrica a quelle di Atalarico, e di Vitige. Ha nel roveſcio il monogramma conſimile a quella di Giuſtiniano in argento.*

tur monogramma, quod in Juſtiniani nummo viſitur. Illum, quod a nemine exhibeatur, vulgandum eſſe arbitramur. His omnibus accedat conſuetudo eorundem Regum, cudendi ſcilicet nummos cum capitibus Urbium murali corona redimitis, addito Felicis epitheto, ut ex eo Ticini evincitur, quem paullo ante retulimus. Id etiam præ ceteris animadvertit Carolus Patinus (*a*), ubi de Trajani nummis agens, Daciam felicem dictam docet, quemadmodum Ravenna, & Cartago (*b*): quem fortaſſe morem Urbium hoc vocabulo adpellandarum deſumſerunt Barbari ex nummis Auguſtorum, in quibus idem Epitheton ſive in recto, ſive in obliquis caſibus frequenter occurrit. (*c*) Certe non niſi florentibus, ac magnis urbibus tribuebatur. Sed quid clariora argumenta quæramus? quæſtionem perſolvat nummulus æreus, quem nos largiti ſumus Guaſtuccio noſtro alias laudato, qui hinc galeatum Romæ caput, ut Gothorum Regum Monetæ, inde vero Ravennæ monogramma affabre ſcalptum præfert. Duo autem complectitur nummus, quibus minime repugnare fas videatur.

Tab. I. num. 6.

XVIII.

Perspecto tempore, atque principibus, ad quos prudenter laudatos nummos putamus pertinere, difficultas modo in iis interpretandis inſurgit. Philippus a Turre (*d*), ac Bandurius, Spanemium ſecuti, ajunt felicem Ravennam prædicari, *quod* (verba ſunt Philippi a Turre (*e*)) *ceteris Italiæ Urbibus direptis*, *ac Barbarorum jugo oppreſſis* (*tunc enim Langobardi totam pene eam Provinciam ſubegerant*) *ſola Imperatorum præſidio ſervata fuiſſet*. Docuerat enim ante idem

(*a*) Imp. Rom. Numiſm. ex Ære Med. & min. formæ p. 390.
(*b*) Nummi iſti exhibentur a Seguin. Sel. Num. f. 43. & a Ducangio Conſt. Chriſt. Tab. 22. Præferunt autem hinc *Caput Hilderici Vandalorum Regis*, ipſius nomine inſcripto: inde epigraphen *Felix Cartago*, vel *Kartago* circa Muliebrem figuram ſtantem, frumentique ſpicas utraque manu tenentem.
(*c*) Vide Nummos Nervæ, Hadriani, Caracallæ, Commodi, Antonini, Nepotiani, Arcadii, Honorii, aliorumque.
(*d*) De Præſt. & Uſu Numiſm. Diſs. 8. p. m. 757.
(*e*) Monum. Vet. Antii C. IV.

idem Auctor, ejusmodi Epitheton claras urbes uſurpaſſe, ut adularentur Principibus, ſe eorum beneficentia felices, percuſſo Ære publico, jactantes, vel quod beneficium aliquod eſſent conſecutæ, vel quod reſtauratæ, aut ſubjectæ nuper fuiſſent, Carthaginenſium exemplo, quos Tertullianus *de Pallio* vocat *vetuſtate nobiles*, *novitate felices*; & Daciæ, de qua Marmor apud Gruter. 249. 4. *Cujus virtute Dacia Imperio addita Felix eſt*. Quum igitur a Barbarorum jugo, ut diximus, per Imperatores erepta fuiſſet Ravenna, inferebat eam merito in iis nummis, quos Exarchi conflari curabant, ſe felicem adpellaſſe. Confirmari opinionem ſuam Tab. I. n. VII. inde cenſebat, quod in poſtica eorum frequenter Aquila alis expanſis cernatur, ut nempe Romanum Imperium indicaretur, addita Stella ad Phosphorum, ſive Luciferum Orientis ſignum declarandum. Quod ſi binæ ſtellæ adjicerentur, ut in nummo apud Harduinum ac Muratorium, tunc ex Chifletio argumentabatur Præſul præſtantiſſimus, eum nummum ab aliquo Auguſto cuſum fuiſſe, cui utrumque Imperium ſubeſſet: duo ſiquidem hæc ſydera Phosphorum, Heſperumque, eo auctore, ſignificant.

XIX.

Quicquid tamen laudati Auctores ſentiant, opinio mea minime infirmatur: non enim video, cur Ravenna felicis Epitheton uſurpare nequiverit in eorum Regum nummis cudendis, qui & illam ceteras inter Italiæ Urbes delegerant, ubi ſedem ſuam ~~figerent, & eam ædibus~~, mœniis, ceteriſque ejusmodi ornamentis locupletaverant. Profecto tum ut Barbaris illis blandiretur Ravenna, tum ut beneficiorum, quæ ab iisdem fuerat conſecuta, laudem ad ſempiternam memoriam propagaret, præſtare id debuit. Sed de poſticæ Aquila quid dicendum? Quum urbibus iisdem, atque Provinciis dominarentur Gothi, quæ Romani olim Imperii robur conſtituebant, quid mirum ſi eodem, quo Auguſti ſigno uſi ſint, addito Lucifero Orientis Sydere, ut Græci Imperatores indicarentur, a quibus eam ditionem fuerant conſecuti? Quod ſi Heſperus præterea Occidentis index, ut in aliquot nummis, adjiciatur, per eundem utriusque Imperii affinitatem

Digitized by Google

tem declarari non immerito conjectabimus. Quamvis ſolertiores nimis ſimus, ſi Barbari hujus ævi Symbola a caſu ſæpe ſæpius proficiſcentia, Pythiam facilius intellecturi, rimemur.

X X.

Tab. II. num. 8. Antequam hoc caput abſolvamus, obſervandum eſt, ut ſuperius etiam attigimus, reliquas Ravennæ Felicis monetas hujus Urbis monogramma in poſtica referre, ſi eas excipias, quas victoriolam cum litteris R V ad latera, vel Aquilam alis expanſis exhibere diximus: monogrammatum enim uſus jam antiquitus obtinuerat (*a*), quamvis celeberrimus Mabillonius (*b*) a Carolo Magno ortum habuiſſe putarit; quæ opinio communiter refellitur ab eruditis. Hæ autem monetæ forte ad ceteros Gothorum Reges referendæ erunt, quos imperaſſe tradunt Hiſtorici, quamvis nullum ipſorum extet publicum monumentum. Circa Gothorum tempora quoque eum nummum ſcalptum dixerim, in cujus antica eminet Juſtiniani caput hac inſcriptione D. N. IV-
Tab. II. num. 9. STINIANVS P. AVG. in poſtica vero ſequens monogramma, in quo interpretando multa commentantur eruditi

D  N. Illud autem, ſive Patriæ amore decipiamur, ſive

hariolandi genio abducamur, videtur interpretandum cum Muratorio D N. *Denarius* RATS. *Ravennatis Urbis*, tum quod id haud obſcure indicent litteræ in eo expreſſæ; tum etiam quia in nummo apud Zenum ejuſmodi monogramma ſtet loco illius, quod in *Ravennæ felicis* nummis, ad ejuſdem urbis nomen ſignificandum ſcalpi conſuevit. Ut ut ſit, notandum eſt hunc Juſtiniani nummum in Muſeo quoque laudati Zeni adſervari hoc diſcrimine, quod ad dextrum monogrammatis latus pro D littera S legatur. Muratorii autem interrpretatio partim corruit; ſed explicari commode poterit S. N. *ſignatus Nummus Ravennatis Urbis*: non enim latinus ſermo tunc elegantiæ, ac perſpicuitatis gloria florebat.

(*a*) Vide Cl. Maffejum Veron. Illuſtr. pluribus in locis; Vignolium in Denar. Pontific. Montfauconium Diar. Ital. c. 2. Lupum S. J. Presbyterum in Epitaph. Severæ, Paralep. Franciſci Antonii Zachariæ in *Titi Flavii Clementis Vivi Conſularis Tumulum ab Edwardo de Vitry* illuſtratum, alioſque.

(*b*) De Re Diplom. pag. 164.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Imperatorum Nummis Ravennæ ſignatis, quum Exarchi occiduas res moderarentur.

I.

Dicturus de eo nummorum genere, qui Exarchorum ævo Ravennæ ſignati ſunt, ingenue fateor me non leviter commoveri, (*a*) *quum ſciam eos, qui Romana, Græcaque numiſmata, inſcalptas, excalptasque gemmas tractare ſolent, veteraque ob artem miranda artificia contemplari, hæc ſequioris ætatis, magnifica licet veſtigia, ut pote inelegantia...... aſpernari, quod moroſis illis Antiquariis, qui altero a ſuperiori ſæculo floruere, ſolemne fuit, ac plane dolendum, quum plura ab iisdem neglecta perierint, quæ non modicum lucis tenebricoſis iis ſæculis affundere poterant*. Verum quando operis ratio id poſtulat, in arenam alacres deſcendamus neceſſe eſt. Everſo per Beliſarium, atque Narſetem ſtrenuiſſimos Juſtiniani duces Gothorum regno, iisque ab Italia expulſis, novum Ravennæ dominationis genus inſtitutum eſt. Eodem ſiquidem tempore, quo Langobardi, auctore eodem Narſete (*b*) ut Anaſtaſius, ac Varnefridus tradunt, in Italiam irrupere, Exarchi, Græcorum Imperatorum Præfecti, primum miſſi ſunt, qui utcunque ~~Langobardis reſiſtentes~~, Imperium pene omnino

(*a*) Ex Franciſco Valeſio V. Cl. Diſs. *de Turri Comitum*, quæ exſtat in Collect. Callogerà Tom. 28. p. 35. & ſeq.

(*b*) Narſetis obitum circa annum 574. conſignat Agnellus, cui Anaſtaſius conſentit. Dubia igitur redditur ſententia Baronii Langobardorum adventum in Italiam contigiſſe aſſerentis ann. 567. vel 568. Hoc ideo adnotandum duximus, quod nonnulli Baronium ſecuti, Narſete mortuo, Fl. Longinum in Italia a Juſtino miſſum autument, inter quos Mediobarbus: diximus enim uſque ad annum 574. vixiſſe. Quicquid tamen hac de re ſit, erravit Henſchenius, a Bacchinio notatus, quod ad caput primum vitæ Maximiani Archiep. ex Rubeo deſſumtæ dicat, Exarchos Vigilii Pontificis ac Juſtiniani temporibus Ravennæ fuiſſe, quum ante Langobardorum irruptionem nequaquam in Italiam miſſi fuerint.

nino lapſum, everſumque tutarentur, (*a*) longe tamen majora, ac Barbari ob impotentiam, atque avaritiam eidem damna inferebant. Verum tandem Langobardis victas manus dare coacti ſunt, Aiſtulpho eorum Rege Ravennam armis occupante (*b*). Cæpit, ut diximus, iſthæc Exarchorum dominatio ſub annum 568. circaque annum 751. vel 752. extincta eſt, poſtquam annos circiter 185. Italiæ præfuiſſent. A Gothis autem exactis uſque ad Exarchorum adventum monetas Ravennæ cudi minime deſiiſſe docent duo numismata Juſtiniani apud Bandurium anno 558. ſcalpta, & alterum ab hæredibus Zavoniorum ſervatum (*c*), ad annum eundem referendum. Miramur autem in iis nullam habitam eſſe rationem ætatis: eodem enim typo conflata ſunt, quo Juſtiniani floreſcentis nummi ſignari ſolebant. Ea ita ſe habent:

D N IVSTINIANVS P F AVG. *Caput Juſtiniani cum ſtemmate criſtato ad pectus cum lorica; dextra tenet globum crucigerum, ſiniſtra elata cum crucicula a ſiniſtris in area.*

ANNO XXXIIII. M. *magno intermedio cum crucicula ſupra, & infra inter crura* A, *in ima parte* RAVEN.

D N IVSTINIANVS PIC (ſic) *caput Juſtiniani, ut ſupra.*

ANNO XXXIIII. M. *magno intermedio cum crucicula ſupra, in ima parte* RAVENNA.

Tab. II. n. 10. IVSTINIANVS. *Caput Juſtiniani, ut ſupra, dextra globum crucigerum tenentis.*

ANNO XXXIII. M. *magno intermedio: in imo* RAVENNA.

II.

(*a*) D. Gregorius M. lib. 5. epiſt. 42. Romani fraudes, nequitiamque exagerans hæc habet: *ejus in nos malitia gladios Langobardorum vicit; itaut benigniores videantur boſtes, qui nos interimunt, quam Reipublicæ Judices, qui nos malitia ſua, rapinis, atque fallaciis in cogitatione conſumunt.* (*b*) Rub. lib. 4. p. 221.

(*c*) Illud nobiſcum communicavit Petrus Franciſcus Manettus Mutinenſis, Sanctæ hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicus Pœnitentiarius, atque Seminarii Rector, quem honoris cauſſa nominamus.

II.

JUSTINI Junioris, qui Juſtiniano Avunculo ſucceſſit, & a quo Exarchi primum miſſi ſunt, nullum vidi nummum ad Ravennam pertinentem. Nemo, reor, inficiabitur id temporum injuriæ eſſe tribuendum, ſuffragium ferentibus hac de re nummis Græcorum Imperatorum imaginem præferentibus, qui Juſtinum excepere. Suſpicari etiam quis poterit, num Ravennæ tribuendæ ſint nonnullæ Juſtini monetæ, quæ nullum Urbis ſignum exhibent, in qua cuſæ fuerint, quum barbaries per ea tempora longe lateque graſſaretur. Certe Longinus Exarchus diu Ravennæ moratus eſt, ibique complura memoratu digna geſſit, quamvis Langobardi, nonnullis Urbibus direptis, everſiſque, magna Italiæ parte potiti ſint: Neque dubium eſſe poteſt eam Civitatem per id tempus cudendis nummis ſuperſediſſe, quæ præ ceteris Italiæ Urbibus florebat, ubique Imperatoriæ Leges, Juriſque Scientia tantum vigebat: teſte enim Gravina viro ſummo, Ravenna ad reliquas Italiæ partes ea dimanavit.

III.

A Juſtino aſcitus in Imperium Tiberius Conſtantinus Thrax anno 578. poſtquam Mauricium Generum ſuum adoptaſſet, anno Imperii quarto (*a*) e vivis ſublatus eſt: Princeps profecto ſapientia, æquitate, ſtrenuitateque conſpicuus. Hujus ſingularem ~~nummum ad Ravennam~~ pertinentem ex ſuo Muſeo nobis ſuppeditavit Vir nobiliſſimus Annibal Oliverius, in cujus antica cernitur *Imperator cum diademate, addita epigraphe* TICO – AN PP A *in poſtica vero M. magnum, ad cujus pedes litteræ* RAV. Tab. II. n. II.

(*a*) Vide quæ habentur in epiſtola, quam appendicis loco capiti quarto ſubjecimus.

IV.

Tiberio Conſtantino mortuo ann. C. 582. Mauricius, qui Auguſtus jam fuerat renunciatus, Imperii habenas moderari cæpit. Ut rebus Italicis labentibus opem ferret, ac Barbaris validius reſiſteret, in Regni ſui primordiis Longino (*a*) Zmaragdum ſuffecit, qui, ſi Hiſtoricis fides habenda, Ravennæ oris ann. 583. appulit. Is ut Ravennatibus rebus conſuleret, bellum Claſſenſe, quod tamdiu Longinum diſtinuerat, feliciter confecit, ac Claſſenſe Oppidum, Langobardis propugnantibus partim cæſis, partim male mulctatis, recepit. Revocatus a Mauricio fuit circa annum 587. poſtquam ſæpius, ut Pomponius Lætus apud Rubeum ſcribit, victor ab Hoſtibus Langobardis exceſſiſſet. Tres in Occone aucto ex Ducangio, ac Strada, Mauricii nummi exhibentur, quorum deſcriptionem ſic habeto:

D. N. MAVRIC. TIBER PP. AVG.
(*b*) M. *Magnum in medio nummo cum cruciculà ſupra*. *Ad latera* ANNO QNNO. *in imo* RAVEN. ex Mediob.

Tab. II. n. 12. D. N. MAVRITIVS. PP. AVG. *Caput Imp. globum crucigerum tenentis*.
ANNO QUINT. M. *magno intermedio cum cruciculà ſupra*, *&* *intra crura* ϵ. *In imo* RAVEN. ex Muſ. Zavon. & Claſſenſi, cum hoc diſcrimine, quod Zavonianus nummus QNNT refert.

D. N. MAVRIC. TIBER. PP. AVG.
S S
X ✠ X
RAVEN ex Mediòb. Band. aliiſque.

D. N.

(*a*) *Auguſti quum ſoli imperare cœperunt, revocato qui ſub Prædeceſſore adminiſtraverat, alterum in Provinciam mittebant. Ita a Mauricio Smàragdus, a Phoca Smaragdus iterum, ab Herculio Johannes Demiges, ſeu Remiges, & a Conſtante Theodorus Calliopas miſſi ſunt*. Banchin. Obſerv. ad vit. Mauri. Schismatici P. II. p. 289.

(*b*) Prior nummus referendus eſt ad annum 587. quo revocatus eſt Zmaragdus, Romano Patricio, quicquid alii dicant, eidem ſuffecto. Poſteriores vero duo annum vigeſimum Mauriciani Imperii indicant, quod Chriſti anno 602. reſpondet.

D. N. MAVRIC PP. AVG.

S S
X ✠ X
RAVEN. Ex iisdem.

D. N. MAVRITIVS. PP. AVG. *Caput Imp. globum tenentis &c.*

R K A
VENN. ex Bandurio, & in Muſ. Zavon. Claſs. & apud nos varie expreſs.

Caput Mauritii cum diademate ex unionibus, globum crucigerum tenentis. Tab. II. n. 13.

M. *Magnum cum litera I ſupra. In imo* RAV. ex Muſ. Zavon. & Claſs.

Non ſumus neſcii dubitari poſſe, num poſterior hic nummus ad Mauritium ſit tribuendus, cum ipſius formam minime referat. Verum alii viderint. Nos in rebus adeo obſcuris nil definire audemus.

V.

A Phoca abdicare coactus Mauricius, cum quinque filiis interfectus eſt, quorum ſecundo loco genitum (*a*), Tiberium nomine, Occidentis Imperatorem deſtinaverat, quamvis per Exarchos quicquid hujus Imperii erat reliquum regi ſoleret. Præerat tunc Italicis rebus Callinicus, qui non multo poſt Ravennæ obiit, Zmaragdo iterum in Italiam miſſo. Singularem Phocæ nummum Ravennæ ſcalptum vidi apud (*b*) Bandurium ita deſcriptum:

D. N. FOCAS PERP. AVG. *Caput Phocæ.*

(*c*) RAVENNA (ſic) K *in medio nummo cum crucicula ſupra.*

G 2 Alte-

(*a*) Murator. Annal. Ital. Tom. IV. ad ann. 602.

(*b*) Tom. II. pag. 674.

(*c*) Difficillimum eſſet annum definire, quo ſignatus fuit nummus, tum quod per notam nullam id indicetur, tum quod in Phocæ nummis annorum numerus valde claudicet: in iis enim, in quibus annus XXXX. vel XXXXIIII. legitur, monetæ pretium deſignari optime conjectat Jobertus (Inſt. XI.) quod octo tantum annos Phocas imperarit. Non igitur in obſcuris rebus, nobis auctoritatum præſidio deſtitutis, diutius, quam par eſt, immorandum.

Tab. II. n. 14. Alterum autem in eadem urbe ſignatum in ſuis cimeliis ſervat Dominicus Pulazzinus Patricius Cæſenas, qui Antiquitatis ſtudio plurimum delectatur. Is ita ſe habet.

D N FOCAS PERP. AVG. *Caput Phocæ Acaciam* (*a*) *dextra*, *globum crucigerum ſiniſtra tenentis*

ANNO
X ✱ X
RAV

V I.

(*b*) Successit Phocæ Heraclius, omnibus notus non minus religione, cui in Regni ſui primordiis impenſe armis favit, quam hæreſi Monothelitarum Dæmonumque præſtigiis, quibus in ſenectute deditus omnino fuit, quamvis Choſroe victo, ac profligato, Perſideque vaſtata Chriſti Crucem feliciter, ac non ſine ſpeciali Numinis auxilio recepiſſet: quibus omnibus acceſſit turpe illud cum Fratris Filia matrimonium, quod jure quiſque improbabit. Sexto, & ſexageſimo ætatis ſuæ anno occubuit, priapiſmone, an hydrope incertum, poſtquam annos triginta, quatuor menſes, ac dies ſex regnaſſet. Editis Heraclii nummis aliquot Ravennæ ſcalptos addemus, qui annorum, quibus imperavit, ſeriem plurimum juvabunt.

Æ. D D. N N. HERACLIVS ET HERA CONST. PP. AVG. *duo Imperatorum capita*, *viri nempe*, *ac pueri*

(*a*) Poſt *Anaſtaſium mappæ genus in Auguſtorum manibus viſitur*, *græcis* AKAKIA *dictum*, *quo is*, *qui circenſibus ludis præerat*, *curſui ſignum dabat*. *Eo proprio veluti ſigno Græci deinde Imperatores uſi ſunt*, *poſtquam Conſules perpetui eſſe voluerunt*. *Vide quæ poſt Ducangium*, *ac Bonarotium notat Bimardus* (La Scienc. des Medaill. T.I. p. 21.) *ut ſive eorum opinionem diluat*, *qui putant Acaciam ſacculum fuiſſe cinere*, *ac pulvere oppletum*, *quo accepto Auguſti dum turpiſſima adulatione conſecrarentur*, *monebantur*, *ut pietatis*, *mortiſque recordarentur*; *ſive aliorum*, qui ajunt *Acaciam volumen quoddam chartarum fuiſſe*, *quod Principibus*, *Conſulibuſque præbebatur*, *ut reſponſa darent*.

(*b*) Id contigit ann. 610. Vide hac de re Agnelli ſententiam P. II. p. 239. & quæ commentatur doctiſſimus Bacchinius, ut eorum temporum Chronologiam reſtituat.

pueri cum ſtematibus crucigeris (*a*) *ſupra*, *inter utriuſque caput crucicula*.

X ✱ X *in medio nummo; in ima vero parte* RAV. ex Ducang.

D. N. ERACLIO AVG. *Duo capita gemmata corona redimita*.

X ✱ X
RAV ex eodem.

DD. NN. HERACLIVS. ET. HERA. CONST. PP. Tab. II.
AVG. *Duo capita*, *viri ſcilicet*, *ac pueri*, *& in* n. 15.
priore, *litteris*, *nomina referentibus*, *pene deletis*.
ANNO VII. M. *magno intermedio cum crucicula ſupra: in imo* RAV. ex Muſ. Zavoniorum.

DD. NN. HERACLIVS. ET. HERA. CON. PP. A. *Tria Imperatorum capita ſertum crucigerum habentia: quod a dextra cernitur*, *Auguſtæ*.

(*b*) ANNO VII. M. *magno intermedio: in imo* RA. apud Bandurium.

DD. NN. HERACLIVS. ET. HERA. CON PP. *Duæ Imperatorum protomæ*, *quarum quæ ad dextram auguſtæ*. *Media habitum conſularem gerit*, *ſeu Lorum*. *Supra ſingula capita adeſt crucicula*.

ANNO VIII. M. *magno intermedio cum crucicula ſupra*, *& infra crura* A: *in imo vero* RA. ex Ducang. & Band.

DD. NN. HERACLIVS ET HERA CON PP. *Duo* Tab. III.
Imperatorum capita, *& alterum Auguſtæ cum cru-* n. 16.
cicu-

(*a*) Heraclius Conſtantinus, de quo in nummo, coronatus fuit anno Heraclii III. Chriſti 612. Eodem hoc anno Joannes Lemigius Thrax Zmaragdo ſufficitur, ab eoque duos hoſce nummos percuſſos putamus.

(*b*) Hunc nummum vidimus etiam in Muſeo Zavoniorum, & apud nos in adverſa parte pro M magno litteram K præferentem. Circa hunc annum autem qui fuit Chriſti 617. Eleuterius, qui Lemigio a Ravennatibus interſecto, quod ſuperbe ſe, arroganterque gereret, ac tributa inclementer exigeret, ſucceſſerat, Campſani perfidia vindicata Regem ſe Italiæ declaravit. Verum a Ravennatis militiæ Ducibus apud oppidum Luceolum trucidatus eſt, quum Romam, Imperium ſuum confirmaturus, ſe conſerret. Vides autem in nummo Heraclium ipſum, Martinam Neptem, quam uxorem duxerat, eorumque Filium Heraclium Conſtantinum, anno 613. Imperii Collegam declaratum.

ciculis in vertice, *ſi* (*a*) *Auguſtam excipias*. Apud nos.

ANNO XVI. *M. magno intermedio cum crucicula ſupra: Intra crura* A. *in imo* RAV.

D NN HERIA. *Eodem typo*. ex Muſeo Jani Planci.

Tab.III. n. 17. ANNO XVI. *Heraclii monogramma cum crucicula ſupra: in imo* RAV.

DD. N. HERIA. *Tria Capita*, *ut ſuperiora*.

H K. *Nempe Heraclii monogramma*, *ſub quo adſunt binæ Cruces*. Mediob. ex Ducang.

Eodem typo.

(*b*) ANNO XX. M. *magno intermedio*, *ſupra monogramma Chriſti*, *infra inter crura* A, *in ima parte* RAV. Ducang. Band. *&c*.

Eodem typo.

(*c*) ANNO  *M. magno intermedio cum Chriſti monogrammate ſupra*, *in imo vero* RAV. Ducang. Band.

Duo Imperatores ſtantes, *qui a dextris eſt altior habitu militari*, *dextra haſtam tenens pedeque dextro ſedentem captivum calcans*. Eum quoque vidimus in Foro Livii apud Georginum Medicum Meldulenſem.

ANNO XXI. M. *magno intermedio cum crucicula ſupra*; *infra vero crura* Δ, *&* *in ima parte* RAV. Ducang. Band.

(*d*) *Duo Auguſtorum capita*, *ſenile unum*, *juvenile alterum*, *Cruce intermedia*.

ANNO

(*a*) Hoc tempore res moderabatur Yſaacius Patricius, qui virtutis gloria, reliquisque animi dotibus florebat, ab Heraclio ſuffectus Eleuterio. Hortatu Honorii Pontificis hoc ipſo anno 625. Provinciam ſumſit Alvaldi in Regnum reſtituendi, quod illi feliciter omnino ceſſit: quamvis non ita multo poſt Alvaldus, conſpirantibus Arrianis, veneno ſublatus fuerit.

(*b*) Hic & ſequentes duo nummi male a Ducangio referuntur ad Conſtantem, iis de cauſſis, quas ſupra retulimus.

(*c*) Obſcuros hos caracteres fortaſſe intelliges, ſi adibis Cl. Beveregium Inſtit. Chronolog. p. m. 226. & ſeq.

(*d*) Hunc pariter nummum annum XXII. Heraclii exhibentem vidimus apud Guaſtuccium tres Imperatores ſtantes in antica præferre. Illum haud incidendum curavimus, quod ejusmodi anterior pars in noſtris tabu-

ANNO XXII. M. *magnum in medio nummo, cu-* Tab. III.
jus interiores litteræ ita interſecantur, ut veluti A n. 18.
magnum efforment. Supra adeſt crucicula: infra
RAVE. ex Muſeo Annibalis Oliverii.

DD NN HERACLIVS ET HERA CON. *Duo Impp.* Tab. III.
ſtantes, qui a dextra habitu militari, & altior n. 19.
haſtam tenet; alter globum crucigerum.

ANNO XXIII. M. *magnum in medio nummo interioribus lineis* A *efformans, cum crucicula ſupra. In imo* RAV. Ex eodem Muſeo.

Tres Imppp. *ſtantes, globumque crucigerum tenentes.*

ANNO XXIIII. M. *magnum cum Chriſti mono-* Tab. III.
grammate, ut ſupra: in imo RAV. apud Olive- n. 20.
rium, ac Baptiſtam Coſtam Pictorem Ariminenſem.

Iidem tres Imppp.

ANNO XXV. *cum* M. *magno, ac Chriſti mono-* Tab. III.
grammate. Infra RAV. ex Muſ. Zavon. n. 21.

Eodem Typo.

ANNO XXVII. *in exergo* RAV. Ex Muſeo Oli- Tab. III.
verii, & Guaſtuccii. eodem numero.

Tres Auggg. *ut ſupra, ſed in laurea.*

(*a*) ANNO XXX. M. *magnum cum reliquis pa-* Tab. III.
riter in laurea. In imo RAV. Apud Oliverium, n. 22.
Plancum, ac Pulazzinum.

Duo Imperatores ſtantes cum ſerto crucigero, crucicu- Tab. III.
lam oblongam tenentes. Ad lævam adſtat labarum n. 23.
cum voce (*b*) NIKA.

M. *ma-*

tabulis ſat frequens occurrat. Servat eum etiam Oliverius cum hoc diſcrimine, quod duos Imperatores ſtantes oſtendit, quorum qui a dextra habitu militari incedit, ut in ſequenti nummo, ſed ſine Epigraphe.

(*a*) Spectat hic nummus ad emortualem Heraclii annum, eodem Iſacio Italiam regente, qui ſequenti anno, Chriſti nempe 641. & ipſe migravit ex hac vita, poſtquam ſumma cum laude exarchatum moderatus eſſet.

(*b*) Vides heic unum ex iis verbis in Cœlo expreſſis, quibus Conſtantino Magno Victoria prænunciabatur: nempe: τούτῳ νίκα, vel ἐν τούτῳ νίκα; hoc eſt: *hoc vince*; vel *in hoc vince*. Conſule exercitationem criticam Jo. Alberti Fabricii, *qua diſputatur Crucem*, quam in Cœlis vidiſſe ſe juravit *Conſtantinus Imp. fuiſſe Phænomenon Naturale in Halone Solari*, ubi plura de hoc eodem verbo erudite pronunciantur.

M. *magnum cum Chriſti monogrammate*, *ut ſupra: ad latera* ANNO XXX. *in imo* RAV. Eum nobis ſuppeditavit Guaſtuccius.

VII.

Ab Heraclio ad Conſtantinum Pogonatum gradum facimus, ommiſſis nummis haud ſano conſilio Conſtanti ejus Patri a Ducangio tributis. De Conſtantino hoc, cujus nummum Ravennæ ſcalptum in ſuo Muſeo ſervat Vir de hac noſtra Diſſertatione optime meritus Annibal Oliverius, & alterum Guaſtuccius noſter, pauca dicamus neceſſe eſt. Is anno *668*. ad Imperium evectus, in id unum incubuit, ut bellum cum Saracenis, qui ſeptem annos Conſtantinopolim obſedere, conficeret, paxque in annos triginta optimis conditionibus facta eſt (*a*). Ad pacandam deinde Eccleſiam mentem, cogitationesque omnes tranſtulit, hacque de cauſſa ſextum generale Concilium indictum fuit, in quo plura ſanctiſſime ſancita ſunt, ſed præcipue decretum eſt duas in Chriſto eſſe voluntates, totidemque actiones, qui ſecus docuerant pro hæreticis jure ac merito damnatis. Neque univerſalis tantum Eccleſiæ bono conſuluit Conſtantinus, ſed Ravennati quoque mirifice ſtuduit, ut conſtat ex Privilegiis Reparato Ravennatium Antiſtiti ab eo conceſſis (*b*), quæ in Opere Muſivo magnificæ Ædis D. Apollinaris in Claſſe indicantur. Pœnituit hunc Præſulem, poſtquam a tribus Suffraganeis conſecratus fuiſſet, Palliumque non a Romano Pontifice, ſed ab Imperatore accepiſſet, *Autocephalia* a Mauro invecta uſum fuiſſe: verum mors fuit in cauſſa, cur honos ad Pontificis obedientiam redeundi Theodoro ejus Succeſſo-
Tab.III. n. 24. ri reſervaretur (*c*). Nummum Pogonati, quem priori loco exhi-

tur. Ea autem habetur in Volumine VI. Biblioth. Græc. Nil de Labaro addam, quod de eo multi agant, ac præcipue præſtantiſſimus Spanhemius *de* P. & V. *Num.* diſs. IX. ubi de ſignis agit.

(*a*) Theophanes, Cedrenus, Diaconus, aliique.

(*b*) Vide Agnellum in vita Reparati, atque Bacchinii in eandem obſervationes: quibus addes Ciampinium Vet. Monum. P. II. hac ſuper re adverſus Aqueductium Camaldulenſem Monachum, & adverſus Fabrium differentem.

(*c*) Anaſtaſius Bibliot. in Bono.

Digitized by Google

exhibemus, dubio procul cuſum fuiſſe a Theodoro II. Exarcha putamus, qui Gregorio ſuffectus eſt. Ille autem eſt ejusmodi:

D N CONSTANTINVS P P. *Imp. globum crucigerum tenens.*

(*a*) M. *Magnum intermedium cum crucicula ſupra*, & *annus tertius ad latera. In imo* RAV.

D. N. CONSTANTIN= *Imperator cum ſtemmate criſtato, dextra geſtat ſpiculum humero dextro innixum.* Tab. IV. n. 25.

M. *magnum cum crucicula ſupra*, & *inter crura* O. *ad latera duo Imperatores ſtantes, dextra Crucem longiorem tenentes.*

VIII.

GRÆCORUM Imperatorum, quorum nummi apud nos ſcalpti ſuperſunt, poſtremus eſt Leo Iſauricus. Succeſſit hic Theodoſio Dramitteno, qui ei ſponte ceſſit Ann. Ch. 717. Indictione 15. VIII. Kal. Aprilis, ut ex Theophane optime docet Petavius. Quam crudeliter in Sacras Imagines ſævierit, edictum illud teſtatur, quod (*b*) anno 730. Indict. 13. propoſuit. Studuit Gregorius II. tunc Pontifex per litteras ab hæreſi illum abducere, ſed fruſtra: quapropter Romani Concilii Patribus hortantibus, eum anathemati ſubjecit; quo factum eſt, ut quicquid Italiæ erat reliquum ab ipſo deſciverit, Claſſe fruſtra contra Italos miſſa, quæ anno 732. in Adriatico mari tempeſtate jactata periit. Quot ſcelera adverſus Ravennam, in epiſtola priore, quam Gregorius II. ad eum miſit, Metropolim dictam, contraque ipſum Pontificem molitus fuerit per ſuos Exarchos, perque Luitprandum Langobardorum Regem, nemo eſt qui ignoret. Verum ſic reſtitit Summus Pontifex, ut Langobardo occurrens, eum flexerit, atque a propoſita ſententia dimoverit. Obiit ſceleſtiſſimus Vir ann. Ch. 741. poſtquam vigeſimum quintum Imperii ſui annum inchoaſſet. Tres ſub Leone Ravennæ Exarchi mo-

H rati

(*a*) Annus III. Conſtantini convenit cum anno Ch. 670. Septem & duos regnavit annos, obiitque anno 685.

(*b*) Theophan. Diacon. & Nicephorus.

Digitized by Google

rati ſunt, nempe Scholaſticus, Paullus, atque Eutychius, qui Imperante Conſtantino Leonis filio circa annum 751. vel 752. Aiſtulpho Ravennam cedere, atque in Græciam ſe recipere coactus eſt: ſicque Exarchatus Italiæ omnino periit. Sub quonam ex laudatis Exarchis ſcalptus fuerit æreus nummus, quem ex Muſeo ſuo nobiſcum ſuppeditavit V. Cl. Janus Plancus, fatemur nos ignorare. Illum pro capitis huius coronide deſcribemus. Tab. IV n. 26.

D LEON....... *Imperator cum crucicula ſupra caput, globum crucigerum manu tenens.*
M. *magnum in medio, ſupra quod crucicula: infra* RAV.

I X.

Eorum Auguſtorum ſerie expleta, quorum nomina, atque effigies in nummis Exarchorum ævo apud nos ſcalptis cernuntur, rerum ordo poſceret, ut de Langobardis aliqua dicerentur: ſcimus enim Aiſtulphum, hac urbe capta, Ravennæ aliquando moratum fuiſſe, ejusque Eccleſiam (*a*) pluribus donis ditaſſe, poſtquam *Petrianam* Ædem, quæ terræ motu corruerat, reſtauraſſet: verum quando nullum illius temporis Monumentum id indicat, reliquum eſt, ut ad monetas noſtrorum Antiſtitum, quibus nil potius unquam habuimus, deveniamus.

(*a*) Agnell. in Vit. Sergii P. II. p. 422. Sigon. de Regn. Ital. lib. 3. Rub. lib. 4. pag. 221. & ſeq. aliique.

CA-

CAPUT QUARTUM.

De Nummis Ravennatum Archiepiſcoporum, quibus ii adduntur, quos Commune *Ravennæ ſignavit.*

I.

RAVENNATES Archiepiſcopos Romani Pontificis beneficio, non Pallium modo (*a*), ac *Metropolitanam* Poteſtatem jam inde a Valentiniani III. temporibus aſſecutos eſſe, ni malimus eam ab Apoſtolorum temporibus cum Rubeo, aliisque derivare, ſed & ſæculo Ch. octavo univerſum Exarchatum cum tribus Tribunis, qui Comitiis publicis eligerentur, adminiſtrandum ſuccepiſſe, conſtat inter omnes. Hinc factum eſt ut eorum potentia, ac dominatu amplificato, etiam poſt *Autocephaliam* extinctam Summis Pontificibus aliquando reſtiterint. Nummosne cuderit Leo Archiepiſcopus, qui primus inter Ravennæ Antiſtites Exarchus (*b*) a Stephano II. renunciatus eſt, ignoro: non enim me omnibus hac ſuper re Monumentis deſtitutum divinandi cupido cœpit. Certe ſi Reparati Vitam conſulamus, comperiemus Agnelli temporibus *publicam Monetam* Ravennæ fuiſſe. Vitam autem produxit Agnellus ad ea tempora, quibus Ravennatium Antiſtites rerum potiebantur: quis autem in animum inducat Præſules Urbis pæne Dominos ab hac re temperaſſe? Verum id alii viderint: nos ea tantum proferemus, quæ tempus, quo Præſules noſtri ſignandorum nummorum prærogativa donati ſunt, liquido declarant, ut horumce nummorum ſeries, quantum per ſequioris ævi obſcuritatem licet, illuſtretur, libentiſſime confitentes plurimum debere nos V. Cl. Petro Paullo Ginannio Caſſinatium Præſidi, ac D. Vitalis

H 2 Abba-

(*a*) Conſule Bacchin. in Præfat. ad Agnelli Hiſtoriam late, atque erudite de hoc diſſerentem adverſus Rubeum.

(*b*) Hoc nomen, quod tunc poteſtatis fuit, ſucceſſu deinde temporis noſtris Archiepiſcopis honoris tantum cauſſa permiſſum eſt. Conſule Rubeum pluribus in locis, Fabrium, aliosque.

Abbati, qui luculentiſſimum Indicem Tabularii Archiepiſcoporum Ravennatum adornavit, ex quo ubi ſingula monumenta hac de re agentia deliteſcerent didicimus, cumque noſtris Scriptoribus contulimus, ut ſive errata corrigerentur, ſive quæ deerant ſupplerentur.

II.

Primus (*a*) inter Ravennates Archiepiſcopos cudendæ monetæ jure donatus eſt A. C. 998. Gilbertus natione Gallus, quem alii Gerebertum, alii Herbertum adpellant, ut videre eſt in Appendice ad Agnellum p. 92. Nos Gregorii V. litteras, & celeberrimi Codicis Farfenſis auctoritatem ſecuti, Gerbertum vocabimus. Hic eſt Gerbertus ille, primum Floriacenſis Monachus, deinde Remenſis, ac poſtea Ravennæ Archiepiſcopus, qui tandem Silveſtri II. nomine Romanus Pontifex creatus eſt. Exemplum litterarum Gregorii ad Gerbertum, vetuſtate colendum, atque ab Aloyſio Amadeſio Viro eruditiſſimo, atque amiciſſimo nobiſcum communicatum, iterum vulgandum duximus, ut quiſque oculis uſurpare queat, quantum ab ea lectione, quam Rubeus exhibuit, ſive Ortographiam ſpectes, ſive verba ipſa, diſcrepet. Monitos autem Lectores volumus, tabulas eas omnes, quarum numerus tantum hoc, ac ſequenti Capite indicatur in notis, loco prætermiſſo, unde depromtæ fuerint, ad idem Archiepiſcoporum Tabularium pertinere: id enim hoc conſilio fecimus, ne eodem nomine ſæpius repetito nauſeam alicui crearemus (*b*). " Gregorius Epiſcopus Servus Servo-
" rum Dei Gerberto Sancte Ravenne Eccleſie Archiepiſco-
" po,

(*a*) Diximus priorem Rav. Archiepiſcoporum fuiſſe Gerbertum, qui facultatem obtinuerit cudendæ monetæ, quod nullum antiquius de hoc documentum extet. Memorat quidem Rubeus in Indice Scripturarum Archivi Romani ad Archiepiſcopatum ſpectantium *Privilegium Othonis III. de moneta cudenda*, conceſſum ann. 993. verum quum illud minime viderimus, neque Rubeus in Hiſtoriis ſuis referat, liceat nobis ab eo Archiepiſcopalis monetæ epocham minime derivare, vel de illo ſaltem prudenter ambigere.

(*b*) Exſtat in Capſa F. num. 1983. verba autem Diplomatis, quæ ſignavimus, nulla in notis adjecta lectione, quæ ab iis diſcrepet, vetuſtas delevit.

„ po, ac (*a*) *noſtro Spirituali Filio*, ac per te in eandem
„ Eccleſiam, cunctisque Succeſſoribus tuis Archiepiſcopis
„ *in perpetuum*. Quoniam Apoſtolice Sedis benevolentia,
„ & antique Sedis conſuetudini, Zeloque *provocati frater-*
„ *nitatem tuam* Eccl. rav. prefecimus, inſignia preſulum
„ ejusdem Eccl. dignum duximus t.ⁱ conferenda cum uſu
„ pallii, quo uti (*b*) *debebis* certis temporibus, certisque
„ modis, ſicut anteceſ........ *tuos uſos fuiſſe cognoſces*. Hoc
„ te (*c*) *nilominus admonentes*, ut ſicut a nobis uius deco-
„ ris uſum, ac Sacerdotalis officii honorem accepiſſe te gau-
„ des, ita etiam morum, atque actuum probitate ſuſceptum
„ in Chriſto Sacerdotium adornare contendas: ſic enim *al-*
„ *terno eris* decore conſpicuus, ſi cum abitu corporis, men-
„ tis quoque bona concordant, ut foris compoſitus, *intus*
„ *autem directus*, Deo cum Propheta vere dicere poſſis, Pro-
„ video Deo in conſpectu meo ſemper, ut ſit a dextris
„ mihi ne unquam commovear. Ut autem *caritate* (*d*) in
„ nobis fundate dulcedinem recognoſcas, ex gratuita largi-
„ tate noſtra poſt mortem Adeleide imperatricis auguſte do-
„ namus tibi, tueque Eccl. diſtrictum rav *urbis*, ripam in-
„ tegram MONETAM, toleneum, mercatum, muros, &
„ omnes portas civitatis. Si vero alia privilegia aliquibus
„ facta aparuerint Sancte Eccleſie *obnoxia*, & uic noſtro pri-
„ vilegio contraria, auctoritate Dei, & Sancti Petri ad ni-
„ hilum redigenda illa diiudicamus, & hoc, quod facimus,
„ ſtabilimus, & intactum permanendum jubemus. Donamus
„ tibi, tueque Eccleſie Comaclenſem comitatum poſt mor-
„ tem Adeleide imperatricis auguſte, ut tu, tuaque Sancta
„ Eccleſia, tuique ſucceſſores illum cum omnibus inibi per-
„ tinentibus libere teneant, & ordinent in perpetuum, &
„ quod bene factum eſt, ut bene reſervemus, & in melius
„ corroboremus privilegium, quod tuo predeceſſori Johan.
„ cum monteferetrana, & Cervienſe (*e*) *Eccleſias*, & cum
„ omnibus que ſibi largiti ſumus ex noſtra benevolentia ti-
„ bi, tueque Sancte Rav. Eccl. tuisque Succeſſoribus confir-
„ mamus, & incorrupta ſemper eſſe decernimus. Item
„ Mo-

(*a*) Et. (*b*) debeas (*c*) nihilominus.
(*d*) Caritatis (*e*) Eccleſiis.

„ Monaſterium Sancti Tome apoſtoli, & Sancte Eufimie martiris cum omni integritate eorum, & omnibus, *cum omni* (*a*) *poſſeſſionib.* & *reb.* eorum cultis & incultis tam in civitate Ariminenſi poſitis, quam extra, ſcilicet in Comitatib. Piſaurienſi, Ariminenſi, & Monteferetrano collocatis; Que omnia per centum jam curricula annorum veſtra Eccleſia, & veſtri Anteceſſores tenuerunt, & vos Deo gratia tenetis quiete, ideſt Caſtellum, qd. voc. Ligabicci cum omni pertinentia ſua, nec non & caſtrum qd. voc. Granariolo cum omnibus rebus & poſſeſſionibus ſuis; & (*b*) *caſtellum qd. voc....... e curbino cum omni integritate ſua, nec non & integrum Caſtellum, quod vocatur Crucis cum omnibus rebus, & poſſeſſionibus ſuis*; & ut paternitas bonitatis noſtre filiationem tue devotionis ſummo affectu, & affluenter in Chriſto enutriat auctoritate Dei omnipotentis, & Santi Petri principis Apoſtolorum hoc noſtro privilegio preceptum de regienſe Epiſcopatu cum omnibus ſibi adjacentiis a *VV* Othone (*c*) Auguſto tibi, tueque Eccleſie, tuiſque Succeſſoribus attributum, confirmamus, ſtabilimus, & inconvulſum permanendum precipimus, ut teneas, defendas, regas, & ad Dei onorem tam tu, quam ſucceſſores libere ordinetis. Confirmamus etiam tibi, tueque Eccleſie in perpetuum donamus *Ceſenam* cum omnibus (*d*) *ſibi* pertinentibus, & poteſtate apoſtolica jubemus, ut de ſubtus ſtrata uſque ad mare nullus audeat diſtrictum, aut venacionem ullam exercere, niſi cui tu, aut tui ſucceſſores juſſerint, ſed abſque omnium hominum inquietudine ad onorem, & utilitatem tuam poteſtative omnia ibi facias, & precipias. Omnia etiam privilegia jam pridem a Predeceſſoribus noſtris tue Eccleſie collata, omniaq. precepta aut a regibus, aut imperatoribus pro Dei reſpectu attributa hoc noſtro privilegio in voluntate Dei, & auctoritate Sancti Petri confirmamus, corroboramus, & in eternum valere volumus, & preci-

„ pi-

(*a*) rebus & poſſeſſionibus. (*b*) Hæc omnia deſunt in Rubeo. Ginannius autem laudatus ita ſuplet duo verba, quæ temporum injuria periere: *quod vocatur Montecorbino*.

(*c*) Vides heic confirmari donationem Othonis III. cui fortaſſe adjiciebatur privilegium de moneta cudenda, de quo ſupra. (*d*) inibi

„ pimus. Si quis igitur contra ec q. p. hoc noſtrum privi-
„ legium pię, & firmiter diſpoſita ſunt, temerario auſu ire
„ *temptaverit* (*a*) ſciat ſe auctoritate beati Petri principis
„ Apoſtolorum, cujus immerito vices agimus, anathematis
„ vinculo innodatum, & cum diabolo, & juda traditore
„ (*b*) *eterni* ſupplicii incendio concremandum, ſicque inre-
„ mediabiliter involvendum, ne unquam a nexibus anathe-
„ matis ſit abſolutus. At vero, qui obſervator (*c*) *in om-*
„ *nibus extiterit*, cuſtodiens hujus noſtri Apoſtolici conſtitu-
„ ti auctoritatem, ad cultum Dei noſtri reſpiciens, bene-
„ dictionis gratiam a miſericordioſiſſimo Deo noſtro multi-
„ pliciter conſequatur, & vite eterne particeps efficiatur
„ (*d*). *Scriptum* per manum Petri Notarii, & Scriniarii
„ Sancte Romane Eccl. in menſe Aprili, & Indictione XI.

„ (*e*). ✠ Benevolentie.

„ Dat. IIII. Kal. Maii per manum Epiſcopi Sancte Alba-
„ nenſis Eccl. & Bibliothecarii Sancte Apoſtol. Sedis anno
„ Pontificatus Domni Gregorii Summi Pontificis, & univer-
„ ſalis Pape in ſacratiſſima Sede beati Petri apoſtoli anno
„ ſecundo, Imperante Domno Otone III. a Deo coronato
„ magno, & pacifico imperatore, anno ſecundo in menſe,
„ & indic. ſupradicta undecima.

„ (*f*) *Ego Rambertus Chriſti miſericordia rav. tabelleo*, *&*
„ *not. Sancte rav. Eccleſie ſcripſi oc exemplum*.

III.

De harunce litterarum ſinceritate dubitat doctiſſimus Muratorius (*g*), I. quod minime conſtet Romanos Pontifices per ea

(*a*) tentaverit (*b*) deeſt in Rubeo.
(*c*) extiterit in omnibus. (*d*) Datum IIII. Kal. Maii &c.
(*e*) Male Rubeus pro Undecima decimam Indictionem ſcribit: Id nos edocet exemplum ipſum litterarum bis laudatam Indictionem referentium, ut legenti apparet; conſtatq. ex Pagio hunc Pontificem IIII. Kal. Maii *in ſecundo regiminis ſui anno* fuiſſe.
(*f*) Hæc omnia deſunt in Rubeo. (*g*) In libro, cui titulum fecit: *Oſſervazioni ſopra una lettera intitolata* „ Il Dominio temporale della Sede Apoſtolica ſopra la Città di Comacchio. p. 30.

ea tempora urbes donare fuiſſe ſolitos. II. quod donatio in litteris indicata tanta ſit, ut injuſſu Imperatoris, cujus in ditione Cymaclum tunc erat, fieri nequiverit. III. quod ad eam Adelaidis Auguſtæ conſenſus requireretur, ad quam ea Civitas tunc pertinebat, quæque anno dumtaxat Chriſti 999 e vivis exceſſit. IV. tandem quod nonnulla litterarum verba cum Hiſtoria pugnent: ſupponunt enim Othonem Ravennæ Metropolitano Regienſem Epiſcopatum, qui jamdiu illi ſuberat, tribuiſſe, ut diploma ipſum innuere videtur, inquiens: *preceptum de Regienſe Epiſcopatu, cum omnibus ſibi adiacentiis a* V V. *Othone auguſto tibi, tueque Eccl. tuisque ſucceſſoribus attributum confirmamus &c.*

IV.

Verum bona venia tanti Viri putamus cum doctiſſimo Fontaninio (*a*), cujus argumenta hic exſcribimus, nullam ſuſpicionis notam ſubeſſe his litteris. Quis enim ambigat ad Gregorianam donationem aſſerendam ſufficere ſi conſtet eam factam fuiſſe? Id autem in dubium duntaxat revocabit qui non modo Honorii III. Innocentii II. Gregorii IX. atque (*b*) Alexandri IV. Pontificum diplomata eandem confirmantia ignorarit; ſed neſciat præterea aliquot Imperatorum tabulas extare, quibus idem adſtruatur. Neque inſolens Pontificum mos fuit urbes donandi: Benedictus (*c*) enim III. A. C. 857. Interamnam Civibus ſuis largitus eſt, qui illam everſam pene, atque deletam a Spoletinis Ducibus reſtauraverant. Quod autem ad eam ſartam tectamque ſervandam Imperatoris conſenſio haud requireretur, exemplo ſuo oſtenderunt Veneti, quorum Dux Badoarium fratrem Romam miſit, ut Cymaclum *ex Pontificis largitate* conſequeretur, ratus nempe injuſſu Imperatoris donari illud potuiſſe. Num autem *Principatuum Feudorumque* Eccleſiaſticorum Dominatus per Pontifices Imperatoribus tribui potuerit, ea conditione adjecta, ut poſt eorum obitum ad Pontifices eosdem devenirent, docet Baronius (*d*) ubi ex Cencii Camerarii Codi-

(*a*) Dominio della Santa Sede ſopra Comacchio p. 160. & ſeq.
(*b*) Rub. p. 389. (*c*) Ughell. Ital. Sac. Tom. I. p. 814.
(*d*) Tom. XII. ad ann. 1133. §. 5.

Codice Diploma exſcribit,quo Innocentius II. Papa Lothario II. Imperatori, atque Agneti ejus Conjugi *Allodium* conceſſit Comitiſſæ Mathildæ, iis adhibitis ſolemnitatibus, quæ illuſtre illud redderent; hac lege tamen, ut poſt eorum obitum *proprietas, & jus ad Dominium S. Romanæ Eccleſiæ cum integritate, abſque diminutione, & moleſtia reverteretur*. Ceteras conditiones heic prætermittimus, ne longiores ſimus; idque tantum addimus, *Allodium* Mathildæ ampliſſimum fuiſſe, quum magnam ditionis Mantuanæ, Parmenſis, Regienſis, ac Mutinenſis partem, omnemque pene Grafinianam complecteretur. Quod vero ſpectat ad verba noſtri Diplomatis, quibus Regienſis Epiſcopus Ravennæ Metropolitano ſubjici videtur, dicimus, per ea confirmare Gregorium quoddam privilegium (quodcumque illud fuerit) ſupra bona Regienſis Epiſcopatus, Ravennati Eccleſiæ olim ab Othone conceſſum: fruſtra enim in illius ævi monumentis eam perſpicuitatem requiras, quæ in hac nitidiſſima temporum luce aliquando etiam deſideratur.

V.

NEQUE a Summis Pontificibus modo, ut diximus, cudendæ monetæ jus Ravennatibus Archiepiſcopis confirmatum eſt; verum etiam ab ipſis Imperatoribus, qui Eccleſiam hanc plurimi ſemper fecerunt; ni affirmare malimus ab Auguſtis illud primo dimanaſſe. Fridericus Cæſar eo Diplomate, quo (*a*) confirmavit Widoni omnia Privilegia, quæ uſque ad eam diem Anteceſſores ejus fuerant conſecuti, hæc habet: *confirmamus etiam prædicto Archiepiſcopo Guidoni, & ejus Eccleſiæ diſtrictum Ravenn. cum portis, ripis, & portubus, muris, publicariis, omnibus teloneis, Moneta, & omnem poteſtatem in omnibus intra, & extra Civitatem Ravenn. exceptis illis noſtris regalibus cum diſtrictu &c.*

VI.

IDEM etiam præſtitit Anno 1163. Henricus III. ut in laudato Indice Rubeus docet, & Otho IV. anno 1209. cujus

I hæc

(*a*) Ughell. Ital. Sac. Tom. II. p. 371. & ſeq. illud ex Codice Vaticano exhibuit. Emiſſum autem fuit Diploma anno 1160. ut videre eſt apud eumdem Auctorem.

hæc ſunt verba (*a*). *Confirmamus etiam ipſi Archiepiſcopo Hubaldo, & ejus Eccleſie diſtrictum Ravenne cum portis, ripis, & portubus, muris, publicariis omnibus, teloneis, Moneta publica, quam hinc in antea ibi fieri precipimus, ſub poteſtate ſancte dicte Eccleſie ſuperius, ejusque Preſulum &c.* Et quoniam in hoc Archiep. Archivo ſuperſunt (*b*) Honorii III. & Gregorii (*c*) IX. Diplomata, præclare de hac re agi cenſemus, ſi eorum verba afferamus. Ita Honorius: = *confirmamus in comitatu Ariminenſi Caſtrum montis Columbi cum jurisdictione temporali, & aliis pertinentiis ſuis: Diſtrictum Ravennatis Urbis, ripam integram, Monetam, teloneum, muros, & omnes portas civitatis: & Comaclenſem comitatum, & pertinentiis ſuis.* Gregorius vero hæc habet: *In territorio Ravennatenſi Rovendulam, villam Sancti Pancratii, villam S. Arcangeli, villam Ruſſi, & Caboi, Caſtrum Caſe Murate cum curtibus, jurisdictione, & pertinentiis ſuis, diſtrictum Ravenne Urbis, Ripam integram, monetam, teloneum, muros, & omnes portas Civitatis, & quidquid habes in Exarcatu Ravenne.* Neque ſolum laudati Imperatores, ſummique Pontifices in Ravennate Eccleſia amplificanda certaſſe videntur, ſed ſuperioribus ſæculis alii complures. Liquet hoc ex Bulla D. Gregorii Magni ad Marinianum Archiepiſcopum, quam poſt Rubeum, & Ughellum nuper ex hoc Archivo emendationem dedit Amadeſius (*d*) in qua hæc habentur: = *Confirmamus omnia precepta, que a piiſſimis Imperatoribus Valentiniano, Theodoſio, Archadio, & Honorio, nec non Juſtiniano, Tiberio, & Domino noſtro Mauricio piiſſimo Ceſare ſemper Auguſto, eidem ſancte Ravennati Eccleſie ſunt attributa, omnia privilegia, que a Sanctis Predeceſſoribus noſtris Innocente, Innocentio, & Sanctiſſ. Leone, & glorioſiſ-*

(*a*) Cap. P. num. 8276. Illud quoq. ex Codice Vaticano deſcriptum publici juris fecit Ughellus ibidem p. 374. atque ex hoc noſtro Tabulario Amadeſius *diſſ. de Jurisdictione Ravenn. Archiep. in Civit. & Diœceſ. Ferrarien.* loco nuper laudato.

(*b*) Ex Tom. xxxviii. Archivi in bulla Sixti IV. contentum, qua Honorii diploma confirmatur. Habetur etiam ſejunctum a Bulla in capſa L. num. 4977. Diploma autem Honorii ann. 1224. exiit; confirmatio vero Sixti anno 1472.

(*c*) In capſa A. num. 29. & apud Ughell. loc. cit. Datum fuit ann. 1428.

(*d*) Ex eadem capſa A.

rioſiſſimo Gelaſio, feliciſſimo & Agapito, & Spiritus Sancti fervore repleto beatiſſimo Pelagio, ob amorem ſummi omnipotentis Dei, ſanctique Apollinaris Pontificis, & martiris reverentiam eidem Eccleſie, tibi, tuiſque Succeſſoribus in perpetuum ſunt data. = Scio doctiſſimum Muratorium de hujus quoque monumenti ſinceritate dubitare; verum brevi ſpero futurum, ut per laudatum Amadeſium vindicetur. Id unum nobis negotium faceſſit, quod Muratorius minime animadvertit, Marinianum nempe, noſtroſque Antiſtites in Bulla, ſeu Diplomate *Archiepiſcopos* dici, quum de iis loquens, ad eoſque ſæpiſſime ſcribens (*a*) Gregorius perpetuo Epiſcopos vocarit, quumque Marinianus ipſe in Concilio Romano, ſeu Lateranenſi III. quod exſtat in Conciliorum collectionibus, ſubſcribat: *Marinianus Ravennas Epiſcopus*. Crediderim tamen id amanuenſis vitio factum fuiſſe, qui vocem ævo ſuo perfamiliarem uſurpavit: *nam hoc in more poſitum eſt* (inquit Patricius in explicatione Patenæ S. Petri Chryſologi p. 90.) *iis nominibus appellare Epiſcopos quibus fulgent tempore loquentis. Hoc pacto Epiſcopos Hieroſolymitanos etiam ante Concilium Calcedonenſe, immo ante Nicæum poſteriora tempora vocant Patriarchas: eruditi tamen doctique viri optime norunt, eos neque Potriarchas tunc adpellatos fuiſſe, neque revera dignitatem obtinuiſſe.* Sed ad rem noſtram redeamus.

VII.

QUUM Ravennates Archiepiſcopi cudendorum nummorum prærogativam amiſiſſent, inſtauravit Leo X. Nicolao de Fliſco Cardinali, Archiepiſcopo Ravennatenſi, Diplomate dato Romæ apud S.Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXVII. XIV. Kal. Octobris, Pontificatus anno V. cujus verba ad rem facientia ſic habeto: (*b*) *Hinc eſt quod nos motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium cudendi monetas, nec non quaſcumque alias, etiam quantumcumque majores conceſſiones, donationes, & gratias,*

I 2 ac

(*a*) Conſule libros epiſtolarum hujus Pontificis, ubi duodequinquaginta epiſtolas ad Ravennatium Præſules ſpectantes invenies; atque literam noſtram ad calcem hujus capitis poſitam hac de re agentem.

(*b*) Ex Tom. XXXVI. Arch. Arciep. Illud quoque afferunt Fabrius in Mauri vita, atq. Amadeſius Diſs. cit.

ac privilegia, & indulta quæcumque Eccleſiæ Ravennatenſi, cui dilectus Filius noſter Cardinalis de Fliſco ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica præeſſe dignoſcitur, ejusque Eccleſiæ Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti, tam conjunctim, quam diviſim per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Imperatores, & Reges, ac Principes quoscumque quomodolibet conceſſa, quorum omnium, nec non quorumcumque, literarum, & ſcripturarum deſuper quomodolibet confectarum, tenores præſentibus, pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, habemus, ipſasque literas, & ſcripturas, & in eis contenta quæcunque, etiamſi in uſu non ſint, approbamus, & confirmamus, & de novo concedimus....... Volumus autem quod moneta prædicta ſit ligæ per Cameram Apoſtolicam tam in Urbe, quam in aliis Romanæ Eccleſiæ locis ordinatæ.

VIII.

Miramur autem maximopere Nicolai Succeſſores hanc prærogativam, unde tantum honoris ad Archiepiſcopos veniret, penitus neglexiſſe, quod viros in Eccleſiæ ſuæ juribus vindicandis acerrimos minime decebat: verum fortaſſe inſtaurandi hujus privilegii gloriam Deus O. M. Divusque Apollinaris Æmiliæ Apoſtolus *Benedicto XIV. Pontifici Summo* reſervarunt, a quo eum in *Ferdinando Romualdo Guicciolo* accepimus Antiſtitem, qui & ejus ſapientiam, pietatemque ſtudeat æmulari, & pro virili parte curet, ne florentiſſima Eccleſia, & quondam longe potentiſſima quid detrimenti capiat; ſed potius ad veterem dignitatem, quantum per tempora licet, accedat. Verum, ut eo revertamur, unde diſceſſimus, animadvertendum heic eſt, Philippum Archiepiſcopum anno 1257. declaraſſe, cudendæ monetæ jus ad Ravennatem tantum Eccleſiam, non autem ad Commune pertinere. Pulcherrimum hac de re monumentum ſuppeditavit nobis hoc Archiep. Archivum (*a*) quod integrum heic damus: *M. CC. LVII. Menſe Aprili XV. Indictione in Palatio Comunis Ravenne in generali conſilio Comunis Rav. ſono campane more ſolito congregato, preſentibus Deriſolo, Johanne Paradiſo, Arnulfino, &c.*

Nos

(*a*) In Capſ. H. num. 3210.

Nos presbiter Bonus (a) Cardinalis, & Sym. propoſitus Vicari &c. de mandato & voluntate ipſius Domini Philippi (b) electi, auctoritate noſtra ordinaria, & delegata ex perſona ipſius = Requirimus, & monemus vos Dominos Allidoxium judicem, Drudo de Signorellis, Ben ..... Cittadinum, & Mattheum Cauchum Conſules Civitatis Ravenne, & conſilium univerſum pro vobis, & nomine totius comunis Rav. Urbis, etiam ſicut vobis mandavit, probibemus, iniungentes in banno m. marcharum argenti, quod non faciatis pactum, vel congreſſum, aut promiſſionem, ſeu conditionem aliquam alicui, vel aliquibus Comunibus Civitatum, vel aliorum locorum, ſeu aliquibus perſone, vel perſonis de Carena, Malcoletto, paſſagio, telloneo, datio, moneta, ripis, & pontibus Civitatis, & Diſtrictus Ravenne, vel aliis juribus quibuscumque ad ipſam Ravenn. Eccleſiam pertinentibus ex privilegiis, & conceſſionibus Imperatorum, & Summorum Pontificum; & ſi in aliquo feciſtis, vel veniſtis contra hoc, quod ſupra dictum eſt, proteſtamus, & dicimus pro Domino noſtro electo, & Eccleſia Ravenne, quod ſibi, nec nobis placet, nec volumus, nec conſentimus, immo ..... & ſi quod factum eſt contra, caſſamus penitus, & in iritum revocamus, probibentes inſuper expreſſius, nec de cetero per vos, vel per aliquam perſonam ſubmiſſam, vel ſubmittendam predicta, vel aliquid predictorum fiant, vel attententur: & ſi feceritis, ex nunc vos, & dictum Commune Ravenne ab omnibus juribus, rationibus, & ...... que commune Rav. habet, & tenet ab Eccleſia Ravennat. privamus, ea omnia ad jus, & dominium ipſum Domini Electi, & Eccleſie Raven. integre revocando.

Item monemus, & requirimus vos ex parte dicti Domini Electi, ut hinc ad Kal. Madii proximi Solvatis M. V. CC. libr pro cuſtodia Caſtri Rav. ſicut tenemini vos, & ut in ſtatuto comunis Ravenne continentur, alioquin de predictis faceremus, quod nobis ab ipſo noſtro Domino eſt injunctum.

IX.

(*a*) Ravennæ Canonicos Cardinales adpellatos fuiſſe docent Hiſtoriæ. Floruit autem hic Bonus ſub Federico, & Philippo Archiepiſcopis, cujus poſterioris etiam Vicarius fuit.

(*b*) Philippus Fontana Ferrarienſis, prudentia ac literis clariſſimus, Federico ſucceſſit ann. 1251. obiitq. Ravennæ anno. 1270. Rub. ad annos mox enuntiatos; Fabr. Sac. Mem. P. II. p. 505. & Ughell. in Epiſc. Flor. & Ferrar.

IX.

Nec modo per has tabulas Philippus vetuit, ne *Commune* Ravennæ cudendorum nummorum jus uſurparet, verum etiam quodammodo nos docuit, monetas, quæ abſolute Ravennates tunc dicebantur, (*a*) ex Archiepiſcoporum officina prodiiſſe. Clariora hæc fient, ſi chartam exſcribamus, qua Raynaldus (*b*) Archiep. Ann. 1321. concedit *Maximo quondam Albiglieti licentiam cudendi Ravignanos groſſos, & parvos*. Ea autem eſt hujusmodi.

Cum nos Raynaldus permiſſione divina Sce...... ciam, & requiſitionem Nobilum, & prudentium virorum, & Dominorum poteſtatis..... ac volentes prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærere, conceſſimus Maximo quondam Albiglieti licentiam cudendi, ſeu fabbricandi monetam in Ravenna videlicet Ravegnanos groſſos, & parvos, pro ut ex Inſtrumento ſuper hoc confecto plene continetur, & ad dictum officium habere..... etate oporteat Inciſorem ferrorum pro dictis monetis excutiendis, ſeu fabricandis, & pro ipſarum....... ne fraus aliqua poſſit committi in eis, & qui ſit perſona ſufficiens, & legalitate mu...... ſona Magiſtri Petri, Magiſtri Thomaxini de Arimino, de quo ſatis laudabile teſtim....... ilitate, ac diſcretione plurimum commendatur, ipſum Magiſtrum Petrum deputamus inciſorem..... ad ipſas monetas fabricandas, & aſſazatorem earum uſque ad dictum tempus contentum in Inſtrumento conceſſionis ſuper hoc confecto, qui promiſit, & juravit ad Sancta Dei Evangelia, tactis ſcripturis, dictum offitium fideliter, & legaliter, nec ferrum incidere ullo modo, niſi quantum pro dictis monetis fuerit opportunum, & quod finito dicto offitio iſta ferramenta nobis integre aſſignabit. In cujus rei teſtimonium mandamus de prædictis fieri publicum inſtrumentum per Baſianum Notarium. Actum Argentæ in Capella Caſtri dicti Domini Archiepiſcopi, præſentibus religioſo viro Salamiti Ordinis Minorum in Sacra Theologia Magiſtro, pres-

(*a*) De hac re late differemus capite ſequenti, ubi Libram, ſolidos, ac denarios Ravennates recenſebimus.

(*b*) Capſ. 1. num. 3989. Hic autem eſt Raynaldus hujus nominis primus, quem Divum colimus, quique hoc eodem anno xv. Kal. Septembris in cæleſtem Patriam evolavit.

Digitized by Google

preſbytero Raynaldo Cappellano, Dopno Guidone Ordinis Ciſtercienſis Officiali, Domino Henrico Baſſerio Clerico, Balzarolo de Medda Notario, & familiaribus præfati Domini Archiepiſcopi, & prudenti viro Johanne Fragerio cive Ravenn. ad præmiſſa teſtibus vocatis, & rogatis ſub anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo primo Indictione quarta die VII. Madii.

L. ✠ S. *Ego Baſianus quondam Nigri de Baronis de Lande, Imperiali auctoritate Notarius, & dicti Domini Archiepiſcopi ſcriba prædictis interfui, & ea de mandato dicti Domini Archiepiſcopi ſcripſi, & publicavi.*

X.

Hæc de Archiepiſcoporum moneta dicta ſint. Quod vero ad Ravennæ *Commune* ſpectat, quandonam nummos cudere cœperit, incertum eſt. Signaſſe autem liquido conſtat non modo iis temporibus, quibus Veneti rerum potiebantur, (*a*) verum etiam ſæculo Chriſti XIII. Hæc Rubeus ad annum 1249. ubi Anconitanos cum Ravennate Republica, ejusque Archiepiſcopo conveniſſe de moneta cum Ravennæ, tum Anconæ cudenda diſerte tradit: = E*odem hoc anno Bertonus Calcheria Anconæ Prætor, ipſique Anconitani, Senatu in domo filiorum Tarabocti habito, Marcum Florentiæ, & Pederectum Caſiatem Legatos crearunt, qui Ravennam venientes cum hujus Urbis Republica, & Archiepiſcopo agerent de cudenda tam Ravennæ, quam Anconæ moneta, deque pactis, concordia, & immunitatibus, quæ inter utriusque civitatis Commune intercedebant, probarentque, & ratum haberent quicquid de modo, numero, & omni ratione cudendæ monete cum Ravennatibus tranſegiſſent.*

X I.

Ravennæ tandem officinam collapſam omnino, jacentemque reſtitui curavit Julius Alberonius S. R. E. Cardinalis vere

(*a*) Veneti Ravennam primum ſuſcepere anno 1441. quum nempe ejus Cives, ab Hoſtaſio Polentano deficientes, Venetum Senatum conclamarunt, eidemque ſe dediderunt. Deinde vero eadem potiti ſunt anno 1527. miſſis ad tuendam adverſus Hiſpanos nobiliſſimam Urbem ſubſidiis. Vid. Rub. p. 627. & 692.

Digitized by Google

vere Eminentiſſimus, quum poſt Bartholomæum Maſſæum, qui idem opus molitus erat, minacium fluviorum curſum avertit, atque argenteam, æreamque pecuniam conflavit, quæ ſive Clementis XII. Pontificis Maximi, ab cujus munificentia iſthæc omnia proceſſerant, ſtemma, atque imaginem referret, ſive D. Apollinaris effigiem, urbisque noſtræ inſigne exhiberet. Ex eadem officina Ærei nummi etiam nunc prodeunt, qui minimæ monetæ inopiæ mirifice conſulant.

Series Numismatum, *vulgo* Medaglioni, *ac Monetarum ad Archiepiſcopos ſpectantium*, *quibus bini nummi ad* Commune *referendi adduntur*.

I.

PAucos heic eos nummos exhibemus, qui cum ceteris minime periere, ſeriem libentiſſime aucturi, ſi alii occurrant. Prior qui ſervatur a Petro Paullo Ginannio Caſſinatium Præſide alias laudato, eſt Bartholomæi Roverellæ Patricii Ferrarienſis, quem anno 1445. labente ſucceſſorem Thomæ Perendulo Eugenium IV. dediſſe ferunt Rubeus (*a*), Fa-
Tab. IV. brius (*b*), aliique. In anteriore nummi parte Bartholomæi *caput*
n. 26. *viſitur cum hac epigraphe* BARTOLOMEVS ROVERELLA CARDINALIS RAVEN. *In poſteriori vero ſub galero dignitatis ſuæ indice hæc leguntur verba*. OB CLE. IPSIVS. MORQ. SANCTIMO. ET. IN SE. AP. INGEN. MERITA. Ideo autem Cardinalis Ravennæ dicitur in nummo, quod anno 1461. in Cardinalium Collegium a Pio II. cooptatus, qui amor ipſius fuit in noſtram Eccleſiam, ſemper eo nomine adpellari voluerit. Ipſius autem Clementiam, morum Sanctimoniam, inque Apoſtolicam Sedem ingentia merita ſat indicant, quæ præclare geſſit non Ravennæ modo, cujus Eccleſiam piiſſime, ſapienterque rexit, ſed Romæ, ubi difficillima munera obivit, atque alibi, quum pluries Apoſtolicæ Sedis Legatus miſſus eſt. Poſticæ verba autem eadem ſunt,

(*a*) Hiſt. p. 632. (*b*) Sac. Mem. p. 534.

Digitized by Google

ſunt, ut optime advertit Fabrius (*a*), quibus uſus eſt Pius II. quum eum Cardinalem renunciavit, quo tempore nummum fuiſſe ſignatum exultationis cauſſa a Ravennatibus jure arbitramur. Id memoratu dignum accidit ſub hoc Antiſtite, quod nempe anno 1457. quum Veneti Senatus decreto Arx munitiſſima Ravennæ eſſet excitanda, Bartholomæus ſupplicatione omnium ordinum indicta, ut loquitur Rubeus, Kal. Junii primum lapidem jecit. Utinam vero ſupereſſet deſcriptio nummi illius aurei, & argenteæ, æneæque monetæ, quas Petrus Georgius Patricius Venetus, tunc temporis Ravennæ Prætor, ac Præfectus, ſubter priorem lapidem poſuit; ipſarum enim typum ad diſſertationis noſtræ ornatum libentiſſime exhiberemus.

II.

Successit Bartholomæo, e vivis ſublato ann. 1476. Fyliaſius Fratris Filius, quem ille ab Sixto Pontifice ſuperiori anno Ravennatem Archiepiſcopum deſignari curaverat. Is ultra quadraginta annos Eccleſiam hanc rexit, atque doctrinæ, pietatis, virtutumque omnium gloria quam maxime floruit. Quæ de Fyliaſio eleganter ſcribit Rubeus ſat oſtendunt, ea de illo recte prædicari, quæ in numiſmate quodam a Fabrio deſcripto, quod ſervat etiam Ginannius, cernuntur. In *antica circa caput ipſius leguntur hæc* verba: FYLIAS. ROVORELLA. ARCHI. RAVENNAS: in poſtica vero *mulier viſitur læva calicem geſtans, deſtra pueri caput tangens, intuensque ſolis radios e ſuperiori parte erumpentis, qui Theologicarum virtutum typus eſt, addita epigraphe:* FIDES. CHARITAS. SPES. Curavit Fyliaſius, ut ſibi Ravennatis Eccleſiæ regimine ultro abdicanti ſufficeretur. Tab. IV. n. 28.

III.

Nicolaus Fliſcus Genuenſis Cardinalis, qui anno 1516. Ravennæ Archiepiſcopus renunciatus eſt. Variis privilegiis a Leone X. donatum fuiſſe diximus, quibus Eccleſiæ noſtræ dignitas augeretur, jusque iterum cudendæ monetæ Ravennatibus Archiepiſcopis traderetur. Nonnullas in Ædi-

K bus

(*a*) Ibidem p. 535.

bus Archiepiſcoporum ex ære, argentoque conflari monetas curavit Nicolaus, quarum binas adhuc ſuperſtites ex Floravante (*a*) recudimus.

Tab IV. n. 29. LEO X. PONTIFEX. M. *Pontificis ſtemma, quod utrinque Leones ſalientes ſubſtentant.*

ECCLESIÆ RA. S. RESVRRE. *Chriſtus Dominus Reſurgens dextra benedicit, ſiniſtra vexillum tenet: ad dextrum latus inſigne Ravennæ, Crux ſcilicet* (*b*); *ad ſiniſtrum ſtemma gentilitium Cardinalis Nicolai Fliſci.*

Per ea verba *Eccleſiæ Ravennatis S. Reſurrectio*, non modo indicari Eccleſiam noſtram Chriſto reſurgenti dicatam fuiſſe, adpellatam proinde iis temporibus, quibus Græci Imperatores Ravenna potiebantur *Agia Anaſtaſis*, ſed etiam ea, quæ ipſi Leoni X. acciderant, arbitratur Floravantes: quum enim ipſo die Paſchatis captus ab hoſtibus fuiſſet in pugna, quæ commiſſa eſt prope Ravennam, *ſequenti anno anniverſario*, ut poſt Platinam Panvinius tradit, (*c*) *cladis Ravennatis die, munificentiſſimo apparatu, tota urbe aulæis, & feſtivis frondibus, arcubusque ornata, Baſilicam Lateranenſem Pontificum inſtituto viſitavit.* Alter nummus hic eſt.

Tab. IV. n. 30. LEO X. PONT. M. *Stemma Pontificis, infra ad dextram parmula, in qua Crux, Ravennæ Urbis inſigne, ad ſiniſtram Fliſci Cardinalis Stemma.*

S. APOLLINARIS. RAVENNÆ. *S. Apollinaris Protome Epiſcopali habitu induti, dextra benedicit, ſiniſtra pedum tenet.*

I V.

Subsequitur Benedicti Accolti numiſma, de quo Præſule inter ceteros Fabrius. (*d*) Illud nobiſcum communicavit doctiſ-

(*a*) Antiq. Romanor. Pontific. Denarii P. II. p. 199.

(*b*) Errat heic Floravantes, cujus verba exſcripſimus: Crux enim non Ravennæ Urbis, ſed Ravennatis Eccleſiæ inſigne eſt. Nil de ea agimus, ne in alienam provinciam ingrediamur; Magna enim cum voluptate Stemmata ad Ravennates ſpectantia nitide expreſſa, & ad Blaſonis modum expoſita vidimus a Marco Antonio Comite Ginannio, Joſephi V. Cl. Fratre, qui hiſce ſtudiis maximopere delectatur.

(*c*) Pag. 278. (*d*) Sac. Mem. P. II. p. 543.

Digitized by Google

doctiſſimus Apoſtolus Zenus, qui nonnulla de eo diſſerit in notis ad *Eloquentiam Italicam* V. Cl. Juſti Fontanini, quas ad umbilicum perductas anno ſuperiore vidimus, quum Venetiis eſſemus. Suffectus fuit ſibi Benedictus a Petro Patruo, iisque temporibus vixit, quibus Bembus, Sadoletus, Paulus Manutius, ac Cælius Calcagninus, qui eum ſummis ornarunt laudibus, floruere. Factus plurimi fuit a Carolo V. Romanorum Imperatore, atque ab Eccleſia, cui præerat, Ravennæ Cardinalem dictum fuiſſe, præter Hiſtorias, docet numisma, quod exhibemus; in cujus antica circa caput ipſius legitur

BE. ACCOLTVS. CAR. RAVENNAE Tab. V. n. 31.

in poſtica vero *Neptunus ſiniſtrorſum ſedens viſitur, læva tridentem gerens, ac turrim ſpectans, ex qua duæ prominent faces accenſæ, cum epigraphe:* OPTIMIS. ARTIBVS.

His autem verbis, hacque turre, de qua Plinius l. XXXVI. (*a*) *quæ perpetuo nocturno lumine certum navigantibus, opportunumque inter cæcas noctis tenebras ſignum, & remedium præbebat*, Ravennæ Pharon indicari, ut iis temporibus Patriam hanc noſtram Literarum, quas Benedictus fovit, atque tutatus eſt, domicilium fuiſſe oſtenderetur, ſapienter ſtatuit idem Zenus.

V.

CUM Accolti Numismate illud conjungendum putamus, quod eodem typo ex triplici Metallorum genere conflatum Maphæus Nicolaus Farſettus Patricius Venetus ſubter priorem Urſianæ Baſilicæ lapidem poſuit, quam collabentem ære ſuo a fundamentis excitandam ſuſceperat A. C. 1734. quamvis immatura morte præreptus conficere eam haud potuerit. Obiit Antiſtes optimus anno 1741. die VI. Februarii, ætatis ſuæ ſexageſimo tertio, poſtquam annos XIII. M. XI. D. XX. commiſſam ſibi a Benedicto XIII. Eccleſiam ea munificentia, pietate, vigilantia, ceterisque virtutibus Summo Principe dignis rexiſſet, ut Urbis deliciæ, Pauperumque Pater proprio quodam jure adpellaretur. Numisma *in antica præfert ipſius protomen Mitra, ac Pontificalibus veſtibus induti hac inſcriptione*: MAPHAEVS. NICOLAVS. FARSET- Tab. V. n. 32.

 TI.

(*a*) Rub. pag. 14.

TI. PATRIC. VENET. RAVENN. ARCHIEPISCOPVS. ET. PRINCEPS.

In poſtica vero novæ Ædis frontem, addita epigraphe: CHRISTO. DEO. REPARATORI: atque ad Ædis latera: HINC PAX HINC VICTORIA.

VI.

Postremus Archiepiſcoporum nummus quandonam ſcalptus fuerit, ignoramus. Fortaſſe ad ea tempora eſt referendus cum Muratorio, quibus Archiepiſcopi Ravennatium res Tab. V n. 33. moderabantur. In *antica legitur* ARCHIEPISCOPVS: *in poſtica autem* DE RAVENNA. Extat duplici typo Romæ apud Cl. Equitem Victorium, & Ravennæ apud Ginannium, & Guaſtuccium. Alterum horum vulgavit Muratorius.

VII.

Ad Venetos ſpectat numulus ex argento, & ære conflatus, in cujus anteriori latere *Divus Apollinaris viſitur habitu Pontific. indutus; ſiniſtra pedum tenens, dextra benedi-* Tab. V. n. 34 *cens, cum litteris* S. APOL. RAVEN: *In altero autem Leo Divi Marci index hac epigraphe*. D. MARCVS VENET. Cui ſi numiſma illud addamus, quod aureum, argenteum, æreumque Romæ ſignari curarunt Corſinii, quum Julius Alberonius Cardinalis ampliſſimus Fluviorum aquis in novum alveum deducendis operam daret, elegantiam alii, alii eruditionem, diligentiam nemo in hac noſtra opella deſiderabit. *Præfert hinc Clementis* XII. *Pont. Max. effigiem his lit-* Tab. V. n. 35. *teris:* CLEMENS. XII. P. M. A. V. (anno quinto); *inde vero Ravennam inter duo flumina, quorum nomina indicantur, placide cubantem; cui Pinus adſtat ipſius ſtemma, hac inſcriptione* SECVRITAS. POPVLI. RAVENN. MDCCXXXV. *Ad lævam urbis Lupæ ſimulacrum viſitur, ex cujus uberibus Romulus, ac Remus pendent*. Quantum autem Summo huic Pontifici debeamus, neminem latet. Is certe Ravennatum felicitatem perpetuo reſpexit, eorumque ſaluti mire conſuluit: cumulandus propterea iis laudibus, quibus Romani olim Cæſares ſuos ornabant. Sed ſit hiſce nummis modus, non autem capiti, quod abſolvet epiſtola ad Amicum, qua proxime ſuperiora duo capita plurimum illuſtrantur. Antequam vero illam

illam proferamus, ſciat Lector, in exprimendis nummis uſos nos eſſe opera Petri Monachi, æris incidendi peritia clariſſimi, quod etiam in Re Numaria Patavinorum notandum duxit doctiſſimus Brunatius.

Joſ. Antonius Pintius Dominico Mariæ Savernio JC.[to]

S. P. D.

„ PLURA ex me quæris, Saverni ſuaviſſime, quæ ut voluntatem in me tuam abunde declarant, ita mihi in rebus adeo obſcuris hæſitanti negotium faceſſunt. Ita ne amori indulges, ut ad ſtudia me tua conferre aliquid poſſe arbitreris? Peccas profecto, ingenuoque amore peccas. Verum quando ſic jubes, obtemperabo: non enim amicitiæ honeſta petenti eſt aliquid denegandum, quæ non indignabitur, ſi quid abſonum, ac minus proprie dictum amico exciderit. Antequam vero id præſtem, ſine me tibi gratias agere, habiturum etiam, ſi occaſio fuerit, de Numiſmate eo *Ravennæ Felicis*, cujus effigiem ære inciſam nuper dono dediſti, in Libelli noſtri fronte expreſſam viſurus. Hanc prius grati animi ſignificationem præbendam ſtatui, quam tibi obtemperarem.

„ Quæris igitur primo, quid ſentiam de voce *Archiepiſcopus* quam Sacræ Ravennæ Metropoli pene coævam arbitrantur nonnulli: deinde rogas ut eum lapidem explicem *Georgii Argentarii*, qui olim ad Divi Zachariæ, quæ eſt Agri Ravennatis Villa, nunc vero in Archiepiſcoporum Muſeo adeſt, de cujus Chronologia, deque *Argentariorum* adpellatione nonnulla cognoſcere cupis: tandem poſtulas in quanam Urbis regione Nummariæ ex Officinæ ſitæ eſſent, quarum aliquando Ravennates Hiſtorici mentionem habent. Ut tibi faciam ſatis, libere dicam quod ſentio, ne in me ingenuitatem eam deſideres, a qua nunquam abhorrui. Doctos enim quoſque viros ſemper plurimi feci, at non ita, ut juraſſe me in verba Magiſtri queri poſſit Horatius. Ut igitur a voce *Archiepiſcopus*, de qua primo me interrogas, exordiar, ſentiunt aliqui jam inde a ſæculo Chriſti ſexto eam apud nos obtinuiſſe. Nituntur

„ aucto-

„ auctoritati Agnelli dicentis (*a*) donaſſe Maximianum Ur-
„ ſianæ Eccleſiæ duo *Chriſmataria* (*b*), quorum alterum
„ ſuis temporibus adhuc ſupererat hac inſcriptione: *Servus*
„ *Chriſti Maximianus hoc Chriſmatarium ad uſum Fidelium*
„ *fecit fieri*. (*c*) Addunt fidem Marmoris in laudato Mu-
„ ſeo exiſtentis, quod refertur etiam ab Agnello (*d*), cu-
„ jus poſteriora verba hæc ſunt: *Hic requieſcit in pace A-*
„ *gnellus Archiepiſcopus, qui ſedit Annos XIII. M. I. D.VIII. &c.*
„ quæ omnia una cum Valentiniani III. privilegio de Uſu
„ Pallii, deque Metropoli Ravennate conſtituta, quod ſin
„ ſuppoſititium, ut nonnulli, at certe mendoſum a melio-
„ ris notæ Criticis exploditur, ſufficere ſibi videntur, ut
„ ſtatuant multo ante, quam reliqui Occidentis Antiſtites,
„ Archiepiſcopos noſtros hoc nomine fuiſſe donatos. Verum
„ ne veritati fucum faciamus, plura ſunt, quæ aliter ſen-
„ tire nos jubeant. Movet in primis Marmorum omnium
„ illius Ævi Auctoritas, quæ nunquam Archiepiſcopi vo-
„ cem uſurpant. Si autem Maximianus, atque Agnellus
„ omnium primi hoc nomine uſi fuiſſent, cur non conſtan-
„ ter adhibuerunt? Cur ille Epiſcopum ſe dicit in Marmo-
„ ribus Conſecrationem Ædium DDD. Vitalis, Apollina-
„ ris, ac Stephani indicantibus? Cur hic, cum in Urſiano
„ Templo celebre illud Suggeſtum ex marmore, pulcherri-
„ mis ornatum imaginibus faciendum curaſſet, Epiſcopi vo-
„ ce contentus ab ea adpellatione abſtinuit? Cur ſucceſſo-
„ res ipſius idem fecerunt? Cognovit id Rubeus, qui ſive
„ ductus auctoritate Codicis, quo utebatur, ſive quod hu-
„ jus rei repugnantiam videret, quo erat ingenio, loco Ar-
„ chiepiſcopi ſemper Epiſcopum poſuit (*e*). Sed hæc haud
„ ſufficiant. Movet ſecundo conſenſus Scriptorum, qui per
„ ea tempora floruere, atque in primis Gregorii M. qui
„ dum ad Ravennæ Antiſtites ſcriberet, deque iis verba fa-
„ ceret, nunquam Archiepiſcopos vocavit. Movet demum
„ pri-

(*a*) In ejus vita p. *99*. (*b*) Vide Ducangium in Gloſs. & Bacchinium in Obſerv. ad vitam hujus Epiſcopi de hac voce differentem.
(*c*) Rubeus ſcribit *fieri juſſit*. p. 164.
(*d*) In vita ipſius p. 128.
(*e*) Hiſtoricorum noſtrorum loca in reliqua epiſtola haud recenſemus, quod ex iis, quæ dicuntur, ſatis conſtent.

„ privilegium Conſtantis, & Heraclii Augg. ad Maurum,
„ quod refert Agnellus P. II. p. 285. in quo ſceleſtus hic
„ Præſul *Autocephaliæ* auctor Epiſcopus adpellatur. Certe ſi
„ Joannis temporibus Archiepiſcopi titulo Antiſtites noſtri
„ donati fuiſſent, non illum prætermiſiſſet, quum quæſtio-
„ nes ipſum inter, ac Gregorium M. de Uſu Pallii interceſ-
„ ſere, quas late eleganterque deſcribunt Rubeus, atque
„ Bacchinius: in ea namque re plurimum cauſſæ ſuæ ad-
„ jumenti poſitum putaſſet. Erravit igitur Agnelli exſcri-
„ ptor Archiepiſcopum pro Epiſcopo uſurpans; erravitque
„ Lapicida in marmore laudato, quod tamen non genui-
„ num, ſed iterum ſcalptum putamus, ne ſcilicet in publi-
„ cis monumentis Agnelli Antiſtitis optimi memoria peri-
„ ret, quod frequenter accidere conſueviſſe exploratum eſt
„ omnibus, qui Antiquitatis ſtudia vel a limine ſalutarunt.
„ Neque quis dicat multo ante Agnelli tempora Alexandri-
„ nos Patriarchas hoc nomine uſos fuiſſe, ut ex Athanaſio,
„ atque Epiphanio docent Thomaſinus, & Ducangius, quæ
„ vox ab Epheſina Synodo deinde anno 451. uſurpata eſt:
„ nam non *Metropolitani*, ſed *Primatis* dignitatem per id
„ tempus ſignificabat, neque ad Ravennæ Antiſtites exten-
„ di poteſt, ni Scriptorum, monumentorumque fides acce-
„ dat, quam falſo iis ſuffragari hactenus demonſtravimus.
„ Si autem quæras quonam tempore eam vocem invectam
„ putem, curioſius id facis, quam oportet: nil enim certi
„ apud me exſtat. Sed quoniam jacta eſt alea, Rubiconem
„ tranſeamus neceſſe eſt. Cenſeo igitur illam Maurum Au-
„ tocephaliæ auctorem ad dignitatis ſuæ ornatum priorem
„ adhibuiſſe. Confirmatur iſthæc mea ſuſpicio auctoritate
„ marmoris in ejuſdem vita ab Agnello relati, ubi hæc ha-
„ bentur. *Hic requieſcit in pace Maurus Archiepiſcopus, qui*
„ *vixit Annos plurimos* (lege cum Bacchinio P. M. ideſt
„ plus minus) LXVII. *qui tempore Domini Conſtantini Im-*
„ *peratoris liberavit Eccleſiam de jugo Romanorum ſervitutis.*
„ Tandem illud argumento eſt mihi, ne conjecturæ iſtius
„ pœniteat, quod nempe Damianus, & Felix, qui Theodo-
„ rum excepere, ac poſt illos reliqui deinde Archiepiſcopi
„ eandem vocem aſſumant. Tria tantum marmora exſcri-
„ bam, quæ hujuſce rei teſtes locupletiſſimi eſſe poterunt.
„ Prio-

„ Priora duo ex Templo D. Apollinaris in Claſſe refert Ru-
„ beus; alterum ad annum 708. ſpectans ex Turri Eccleſiæ
„ Cathedralis Cymaclenſis exhibet Fabrius: ſingula vero ex
„ his Auctoribus Bacchinius.

1

D. N. DAMIANVS ARCHIEPISCOPVS FECIT.

2

HIC TVMVLVS CLAVSVM SERVAT CORPVS FELICIS
SANCTISSIMI AC TER BEATISSIMI ARCHIEPISCOPI

3

✠ TEM. DN. FELI. TR. B. ARCP. SCE. ECC.
RAV. F. D. F. VINCENTIVS RIMV.
EP. C. ECC. SCI. CASSIANI. CI. CVM.
PRIMI. EDIFIC. P. IND. VI. ✠
FELICIT.

„ Venio nunc ad lapidem hunc Georgii Argentarii, cu-
„ jus explicationem ſecundo loco requiris.

HIC REQVIESCIT IN PACE
GEORGIVS VC ARGENTA
RIVS FILIVS PETRI VC AR
GENTARII IVN. QVI VIXIT
ANN PL M XVII. DEP. SVBD
PRID NONAR AVG. IND. XIIII
IMP. DN. N. TIBERIO CONSTAN
TINO PP AVG. ANNO VII. ET PC
EIVSDEM ANNO III. Φ

„ Duo te haud ſatis intelligere ais in marmore, quod
„ heic poſt Fabrium a mendis expurgatum recudimus; cur
„ nempe anno Tiberii Conſtantini Septimo ſcalptum dica-
„ tur, quem tamen literarum monumentis compertum eſt
„ quatuor tantum annos regnaſſe: numque repetita ibi Ar-
„ gentarii vox ad Familiam aliquam pertineat indicandam,
„ quemadmodum de Juliano illo Argentario nonnulli, iique
„ non omnino ſpernendi auctores ſuſpicantur. Ne quæſo
„ ſollicitus eſſe velis in rebus intelligendis, quarum altera
„ haud

„ haud difficilem explicationem requirit; altera poſt Bacchinium non ut antea tenebricoſa videtur: cui ſi notatio quædam noſtra accedat, quod dubitationis adhuc ſupererat eliminabitur. Ideo igitur, quod ad priorem interrogationem ſpectat, eæ notæ Chronologicæ in marmore ponuntur, quod ex eo tempore, quo Tiberius a Juſtino Cæſar fuerat renunciatus ad id, quo inſcriptio Georgii ſcalpta eſt, ſeptem anni effluxiſſent. Dictus ſiquidem fuerat Cæſar Tiberius Conſtantinus anno 574. tribus annis ante, quam Imperator fieret, quos ſi quatuor iis, quos regnavit, adjicias, annum ſeptimum in marmore indicatum habebis. Cave autem putes novum id in lapide accidiſſe; quamplurima enim poſſem ejusdem rei exempla afferre, ſi per otium liceret. Verum neque tu is es, qui amicos fruſtra delaſſandos, neque ego, qui tempus terendum, ubi neceſſitas haud flagitet, cenſeam: cur enim fluctus in ſimpulo excitemus? Ut vero de noſtris Argentariis aliquid proferamus, omiſſis aliis muneribus, quæ per hanc vocem, prout latinus ſermo varie jactabatur, declarata ſunt, ſentio cum Bachinio eos nullo pacto (*a*) a Græcorum Trapezitis differre, iisque hoc muneris demandatum fuiſſe, *ut Eccleſiaſticos reditus apud ſe depoſitos* ad Epiſcopi præſcriptum, *vel juxta conventa cum Clero* Archipresbytero, Archidiacono, Primicerioque traderent diſtribuendos. Neque hæc Bacchinii conjectura ab Eccleſiæ conſuetudine vel tantillum recedit: quis enim neſciat ejusmodi Gazæ Epiſcopalis Præfectos, ſive Cuſtodes, quos etiam a Theſauro per id tempus *Saccum* dicto, *Saccellarios* vocabant, inter Eccleſiæ Miniſtros fuiſſe cooptatos? Ita autem ſe rem habere ex hoc maxime evincitur, quod Julianus ille Argentarius V. Cl. qui de ſua pecunia cum Bachauda genero Archangeli Michaelis Ædem excitarat, cum Epiſcoporum juſſu id fecit, *mandante Eccleſio*, atque *Urſicino* exſtruxiſſe dicatur. In ære autem alieno fuiſſe videtur, qui Epiſcoporum mandata publice perſequeretur. Ceterum, ut eo revertar unde diſceſſi, *Argentariorum* adpellationem in noſtris marmoribus officium, non

L „ co-

(*a*) Vide etiam Ducangium in Gloſs.

„ cognomen declarare (neque enim fieri id potuit , quo
„ tempore cognomina minime adhibebantur) conjicitur ex
„ duabus papyris Ravennæ exaratis , ubi ejuſmodi monu-
„ menta confici ſolebant, quarum utraque cum teſtium, qui
„ ſubſcribunt nominibus , munera pariter , quibus iidem
„ fungebantur, conjungit . Quum igitur inter ceteros duo
„ Argentarii quoque ſubſcribant, illud conſequi perſpicuum
„ eſt hanc vocem, ut ceteræ , ad munus aliquod indican-
„ dum pertinere (*a*). In priore papyro ad annum 539. re-
„ ferenda hæc habentur:

..... Serapio Vir.....
..... anus Argentarius gener Johanni Pim... (*b*)
..... trus Collectarius (*c*)
Latinus poſſeſſorum parens......
Candidianus VI.........

„ In altera vero ſub annum 540. ſcripta, præter Vitalem
„ V. C. *Monitarium*, & Romulum V. C. *Silentiarium*, cer-
„ nitur etiam Paulus quidam V. C. *Argentarius*, qui, ſi ad-
„ datur Juliano Viro celeberrimo, Georgio, ac Petro, quos
„ memorat lapis noſter, & Joanni illi, de quo loquitur Gre-
„ gorius M. lib. 9. ep. 23. quinque Ravennatis Eccleſiæ Ar-
„ gentarios recenſebimus. Neque id tantum colligimus ex
„ poſteriore papyro ; verum etiam docemur ſexto Chriſti
„ ſæculo Argentarios longe a Monetariis diſtaſſe , quam-
„ vis, ut oſtendit Ducangius in Gloſs. Latin. Barb. in Wi-
„ ſigoth. L. 2. tit. 4. §. 4. pro una eademque re uſurparen-
„ tur. Supereſt modo , ut de eo quod poſteriore loco po-
„ ſcis aliquid differamus.

„ Si quis Officinarum ſitum, ubi nummi antiquitus Ra-
„ vennæ cudebantur, inquirat, is oleum & operam perdet.
„ Ut enim ejuſmodi res variis temporum viciſſitudinibus
„ fuerunt obnoxiæ, ita nullus dubito , quin idem officinis
„ contigerit, de quibus eſt ſermo. Nos pro epiſtolæ modo
„ ea tantum pronunciabimus, quæ aliena haud videbuntur,
„ ne per nimiam audaciam omnia ſusque deque miſcentes
„ in

(*a*) Hæ Tabulæ referuntur a Maffæo Scient. Diplom. p. 143. atque a Muratorio Antiqu. Italic. Tom. II. pag. 1002.
(*b*) Cernis heic Julianum illum, de quo ſupra. (*c*) Lege *Petrus*.

„ in Ravennatum rebus deſcribendis cenſoria virgula note-
„ mur. Ubi enim hæreat aqua, quid probri, ſi ignorare
„ rem fateamur? Tria ſunt quæ *Monetæ* ſitum aliquo pacto
„ oſtendant: ſubſcriptio nempe Joannis illius in papyro ann.
„ 572. & duo Agnelli loca, quorum ſub finem capitis ſe-
„ cundi in diſſertatione meminimus. Subſcribit ille: *Johan-*
„ *nis for.... habens ſtationem ad monetam auri in porticu Sa-*
„ *cri Palatii*. Agnellus vero docens, unde Reparatus, ac Gra-
„ tioſus educti fuiſſent, quum Archiepiſcopatum obtinuere,
„ *de Monaſterio*, inquit in vita prioris, *S. Apollinaris quæ-*
„ *ſitus eſt hic Ravennæ non longe a puſterula Ovilionis in*
„ *loco, qui vocatur Moneta publica*. Vitam vero alterius
„ exordiens, ita loquitur. *Ex Monaſterio B. Apollinaris Ab-*
„ *ba fuit, quod eſt fundatum non longe ab Eccleſia S. Re-*
„ *demptricis Crucis ad Monetam veterem, unde Sanctiſſimus*
„ *Reparatus fuit*. Si per Monaſterium D. Apollinaris, ex
„ quo ad Archiepiſcopatum laudati Antiſtites evecti fuere,
„ celebris ea ædes a Theodorico Gothorum Rege excitata,
„ Divoque Martino primum, nunc vero D. Apollinari ſa-
„ cra intelligi poſſet, difficile haud foret *Aureæ* illius *Mo-*
„ *netæ* ſitum inveſtigare, de qua in papyro. Quum enim
„ diſerte tradat Rubeus, ex eoque Fabrius, eam Urbis regio-
„ nem, in qua nunc eſt D. Vincentii Parœcia, quæ parum
„ certe a D. Apollinaris diſtat, dictam fuiſſe *S. Vincentii de*
„ *Moneta aurea*, quid vetaret, quominus Sacri Palatii no-
„ mine Theodoritianum Palatium, in quo poſt Gothos exa-
„ ctos fortaſſe degerunt Exarchi, intelligentes, papyrumque
„ cum Agnello conferentes, certi aliquid ſtatueremus? Ve-
„ rum neque Monaſterium illud D. Apollinaris pro eo,
„ quod hac tempeſtate ſic vocatur, uſurpare licet, quod ſcia-
„ mus circa annum 856. a translato D. Apollinaris corpore
„ nomen tantum inveniſſe, cum perpetuo S. Martini adpel-
„ latione vocetur ab Agnello; neque vero ſimile videa-
„ tur ab aurea ea Moneta, de qua in papyro, S. Vincen-
„ tii Regionem dictam fuiſſe: papyrus enim ſeptem ac plu-
„ ra ſecula eam Urbis diviſionem antevertit, quam anno
„ 1185. contigiſſe docet Rubeus per hæc verba: *hoc tempo-*
„ *rem Urbem Ravennam in quatuordecim diviſam Regiones*

„ *invenio*. Reſtat igitur ut relata Agnelli verba accuratius
„ perpendentes, eo loci ſitam fuiſſe *auream* papyri *Monetam* ſtatuamus, ubi *Monetam publicam*, ac *Monetam Veterem*, quæ eandem Officinam per Agnellum ſignificant,
„ collocare is videatur. Ea mihi ſuſpicio pluries injecta eſt,
„ *Monetam* Auguſtorum temporibus ad S. Apollinaris in Veclo, in ea ſcilicet parte, quæ Sanctæ Crucis Templum nunc
„ Parœciam reſpicit, extitiſſe. Id ut cenſeam in cauſſa
„ ſunt Agnelli verba, quæ utraſque has Ædes ſibi pæne
„ conterminas affirmant. Minime autem dubito quin Sanctæ Crucis Templum idem ſit, quod Placidia excitavit;
„ ſupereſt enim SS. Nazarii ac Celſi Sacellum, illi olim adhærens, quod rei hujus fidem faciat. Monaſterium vero
„ D. Apollinaris cum ea Æde, atque Parœcia convenire,
„ quæ in præſentia hoc nomine donatur, ſat indicant & locus, ubi ſita eſt, & Bullæ Alexandri III. atque Urbani IV.
„ ejuſdem rei teſtes locupletiſſimæ. Quid plura? Auctoritas
„ doctiſſimi Bacchinii facit, ne ab hac ſuſpicione dimovear;
„ quamvis enim de Officina Nummaria haud diſceptarit,
„ ea tamen profert de Puſterula Ovilionis, deque memoratis Templis, ut decipi cum illo glorioſum videatur:
„ licet enim opinari Auguſtorum Ædes, quarum meminit
„ papyrus, ad SS. Nazarii ac Celſi, ubi etiam nunc eorum ſepulcra cernuntur, ſitas fuiſſe. Dicendum tandem
„ foret aliquid de recentiore Officina Nummaria Ravennatium: ſed nil lucis affulget, qua eruditiores fiamus.
„ Theſeus a Cornu, qui nobiſcum antea ſenſit, quamvis ſtrictim atque obſcure ſatis locutus ſit, ad S. Vincentii Parœciam fuiſſe poſitam ſuſpicatur, ea ratione, quod nempe *de Moneta aurea* iis temporibus dicta fuerit, quibus
„ Archiepiſcopi Ravennatum res moderabantur. Conjectura
„ veri non omnino ſimilis videtur. Aliorum tamen eſto judicium. Ego quovis monumento deſtitutus nil auſim definire. Probabile certe eſt Archiepiſcopos rerum Dominos nummos ſignaſſe. Habes, Saverni ornatiſſime, quæ
„ ne officium defererem conjectando, vel potius divinando
„ ſum aſſecutus; quæ ſi tibi haud clara ſatis videbuntur,
„ dicam cum Livio: *in rebus tam antiquis, ſi quæ ſimilia ve-*

„ *ri*

„ *ri ſunt*, *pro veris accipiantur*, *ſatis habeam*. Obtempera-
„ vi autem, non quod me eum putem, qui cuiquam in
„ ejusmodi rebus facere ſatis queam, ſed quod meretricula-
„ rum more ſacramento me veluti obſtrinxerim, ne quem
„ triſtem dimitterem. Tu ſi me amas, ut reor, volunta-
„ tem in te meam æquo animo excipies, ac mea alias ope-
„ ra uteris: etſi enim doctrina omnibus, candore certe,
„ ac benevolentia nemini concedo. Vale.

„ Ravennæ ex Ædibus Seminarii v. Calendas Novem-
„ bris CIƆCCXLVIII.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

De Libra, Soldis, ac Denariis Ravennatibus, deque ceteris pecuniæ generibus in eadem urbe conflatis.

I.

DE variis pecuniæ generibus acturi, qua poſterioribus ſeculis Majores noſtri uſi ſunt, ut a noſtra incipiamus rerum ordo non minus, quam ratio poſtulat. Nil apud Scriptores, nilque in noſtris Archivis poſt ſeculum Chriſti decimum frequentius occurrit, quam *Libra Ravennæ*: verum quid ea eſſet, quotque *ſoldis*, ac *denariis* conſtaret haud liquet. Nos ea proferemus, quæ ex tanta rerum caligine erui potuerunt, ut facem aliis præferamus, qua ſpartam hanc doctius ornare queant, remque totam haurire.

II.

Libræ Ravennatis initium, atque originem ſi quis inveniat, erit mihi magnus Apollo. Eam primum conſtaſſe denariis, ſive nummis ab Archiepiſcoporum officina prodeuntibus minime dubitamus, quum illius mentio habeatur per ea tempora, quibus, ut dictum eſt ſupra, Philippus declaraverat conflandorum nummorum prærogativam ad ſolos Archiepiſcopos pertinere. De ea ſic mentionem fieri animadvertimus in tabulis, quibus anno 1015. quorumdam bonorum dominium conceditur *Tedbaldo*, & *Marotiæ jugali filiis*, & *Nepotibus* a Sergio Ravennatis Eccleſiæ Archidiacono, & Abbate Monaſterii S. Georgii Martyris (*a*) *Caligariorum nomine* perſolvat, *ideſt Libram unam Rav. pro denariorum ſolidis ſexaginta*, & *pro unoquoque ſolido Rav. denarios duodecim*. In charta agente *de quodam tenimento in Regione Herculana Ravene*, anno 1107. ſcripta per Mercatellum Tabellionem, hæc habemus (*b*): *dare debeatis omni anno in men-*

(*a*) Capſ. B. num. 316. (*b*) Capſ. A. n. 46.

menſe Marcii, *vel infra indict. duos Den. Rav.* & paullo poſt: *quia exinde das nobis octo ſoldos Rav.* De hac moneta loquitur pariter *ſententia electorum Arbitrorum in controverſia de Manſo Caligariorum*, *& duabus partibus Ducatus inter Archiepiſcopum Ravennatem* (*a*), *& Petrum Traverſariam*, quam ex Archivo Eſtenſi vulgavit Muratorius (*b*). Ea pertinet ad laudatum annum 1197. *Pro penſione tribuat nummum Ravennatis monetæ ſingulis annis*. Librani *Ravignanorum* nominant etiam nonnullæ Chartæ ſeculo XIII. & XIV. exaratæ. Binas dabimus ex Claſſenſi Archivo, traditas nobis cum aliis compluribus a D. Gabriele Guaſtuccio ejusdem Cuſtode, curante D. Maria Angelo Fiacchio Claſſenſis Bibliothecæ Præfecto, Viro literis, moribus, modeſtiaque ſpectabili. Prior eſt *exemplum autenticum Inſtrumenti*, ſive *Laudi lati inter Comune Ravenne*, *& Comune Cexene*, *reperti in Archivo publico dicte Comunitatis Ravenne*, quod ad annum 1432. Ind. xv. diem x. Novemb. eſt referendum. *Easque a dictis partibus emologari*, *& confirmari ſub pena mille Librarum Ravignanorum in compromiſſo inſerta a parte non obſervante predicte parti obſervanti ſolvenda*. Inſtrumentum autem ipſum anno 1288. confectum fuiſſe docent, quæ ſequuntur: *Latum fuit hoc arbitrium*, *& laudum per dictos arbitros ſedentes*, *preſentibus*, *& volentibus dictis ſindicis* &c. *ſub ann. Domini MCCLXXXVIII. Indict. prima*, *die Mercurii XX. Octobris*. Altera charta *Inſtrumentum dotale* continet cujusdam Dom. Beatriſiæ de Melariis. Ea eſt hujusmodi. *In Chriſti nomine amen*. *Anno Nativitatis ejusdem Milleſimo Ducenteſimo nonageſimo*, *Ind. XII. Raven. die XV. menſis Junii in domo dicendorum fratrum &c. ibique Nicolaus*, *Oddo*, *& Franciſcus de........ ſatris fuerunt contenti*, *& conſenſi habuiſſe*, *& recepiſſe in dotem*, *& dotis nomine a Domina Beatriſia*, *Filia olim Fantholmi Merzarii de Ravena*, *preſente Uxore dicti Domini Nicholai pro matrimonio contracto inter dictum Nicholaum*, *& ipſam Dominam Beatriſiam*, *videlicet in rebus mobilibus extimatis comuni*

(*a*) **Intellige Guillielmum, qui & Guillielmotus, & Otho dictus eſt, atque anno 1190. Gerardo ſuffectus.**

(*b*) **Antiq. Italic. Tom. V. Diſs. V.**

muni concordia inter eos ſexaginta libras Ravignanorum &c. Duas Tornaturas, & mediam terre laboratorie extimatas quinquaginta libras Ravignanorum pro Tornatura, poſitas in plebatu Sancti Appollinaris in Ronco nigro in Burgo porte Sancti Mame Civitatis Raven. &c. Subſcribit Tabellio:

Ego Ambroſius filius Petri Gignalis Imperiali auctoritate Notarius de Raven.

III.

Hujusmodi autem Ravignanos in *groſſos*, & *parvos* diviſos fuiſſe, præter Chartam, qua diximus (*a*) Divum Raynaldum conceſſiſſe *Maxio quondam Albiglieti licentiam cudendi, ſeu fabbricandi monetam in Ravenna, videlicet Ravignanos groſſos, & parvos*, (*b*) docet etiam *Inſtrumentum* quoddam *Tranſactionis inter Dominum Lionellum de Polenta, & Dominam Margheritam de Badais, occaſione litis vertentis inter ipſos*, ubi hæc habentur. *In Chriſti Nomine Amen, Anno ejusdem Nativitatis Milleſimo trecenteſimo trigeſimo nono, Indictione ſeptima, tempore Domini Pape Benedicti duodecimi, die vigeſimo ſecundo Octobris in Guaita Sancti Petri Majoris, in Domo Domini Franciſci de Raſponi. Judicis &c. Item dicebat dictus Bentinus predictum Ugolinum, ejusque heredes eſſe obligatos predicto Domino Leonello ex cauſa depoſiti in ſexaginta octo Libris Ravignanorum parvorum. Item in alia parte in quinquaginta libris Rav. quas confeſſus fuerat dictus Ugolinus habuiſſe a dicto Domino Lionello a Domina Cathalina quamdam ſuam domum poſitam in Civitate Ravenne in G. Sancte Agathe Majoris juxta dictum D. Lionellum &c.* Scripſit has tabulas *Ghomeus de Catis de Ferraria* &c. Cum iis, quæ de *Ravignanis groſſis ac parvis* diximus conſonant, quæ in *Veteri Statuto* habentur (*c*) lib. V. Rubrica LVIII. cui titulus: *quod nullus de Rav. debeat recuſare monetam Rav. Et qui habet monetam falſam frangere debeat.* Inquit autem: *Statuimus, & ordinamus, quod quilibet de civitate R. teneatur, & debeat traſſe monetam tam groſſam, quam parvam*,

(*a*) Pag.... (*b*) Ex Archivo Claſſenſi.

(*c*) Codex hic membranaceus Legum Municipalium nitide ſcriptus ſervatur in publico grammatophilacio.

vam, & eam non recuſare ſi fuerit bona, & Legalis. Et qui eam recuſaverit condemnetur comuni pro quolibet denario groſſo in quinque ſoldis R. pro quolibet denario parvo in duodecim denariis Rav. & teneatur quilibet ad cujus manus pervenerint aliqui denarii falſi, illos frangere, & non expendere. Et ſi aliquis inventus fuerit habere quinque ſoldos R. ſimul, vel ab inde ſupra de denariis falſis capiatur, & duci, & preſentari debeat coram Poteſtate Rav. qui contra eum procedat, ſicut de jure fuerit procedendum. Et hoc intelligatur etiam de monetis bonis, & curſum habentibus in Civitate Ravenne.

IV.

HACTENUS de libra Ravennæ generatim ſumta: modo de ejusdem valore pauca dicamus. Ad componendas, dirimendasque lites ad duos Julios poſterioribus temporibus redactam fuiſſe, norunt omnes. Verum, rectene factum id fuerit, inquirendum. Si chartas perpendamus, nil certi ex iis erui poterit. Duo tamen habemus, quæ lucis aliquid tenebricoſis hiſce difficultatibus adferre poterunt. In Teſtamento (*a*) Lamberti de Polenta, confecto anno 1316. *die decima octava Junii in Villa Alturæ diſtrictus Rav. in Domo, ſeu tumba dicti Dom. Lamberti, poſita in dicta Villa, præſentibus Dom. Presb. Filippo Rectore Eccleſiæ S. Sixti de Santerno, Magiſtro Pellegrino Medico, Magiſtro Franciſchino de Imola Medico, Magiſtro Compagno de Ferraria Medico, Cambio de Artuſinis Not. Dominico Bonetti, Bletta de Ugulis, Mezzofilio Philippo de Ferraria, & aliis teſtibus ad hæc vocatis, & rogatis a dicto Teſtatore:* hæc habentur: *Item reliquit de aliis ſuis bonis egregiæ Dominæ Juliæ Marchiſoni Eſtenſi Uxori ſuæ duo mille lib. Rav. ſive mille florenos auri, quos confeſſus fuit idem Dom. Lambertus ab ipſa habuiſſe in dotem tempore contracti Matrimonii.* Subſcribit quidam *Guido Ravaldus Rav. Imp. auctoritate Notarius.* Libræ igitur duæ Ravennates ſæculo XIV. unum florenum auri æquabant: ex quo inferri poteſt earum unam duos Julios currentes parum exceſſiſſe.

M V.

(*a*) Ex Archivo Canonicorum Later. S. Mariæ in Portu cap. A. num. 102.

V.

Quod ad alterum teſtimonium pertinet, ex eodem Legum municipalium Codice liquet ſingulas libras viginti ſoldis conſtaſſe. En ejus verba lib. 1. Rub. *de Sallariis Advocatorum, & Procuratorum, & ſolutionibus Notariorum .= Statuimus, & ordinamus, quod ſuper quacumque cauſa, que ventillabitur in foro civili civitatis R. poſſit Advocatus aſſuntus pro ſuo patrocinio, & ſalario petere, vel habere de queſtione, vel cauſa, que ſit quantitatis vigintiquinque librarum infra viginti ſoldos, & procurator decem. Ex vigintiquinque libris ſupra uſque ad quinquaginta incluſive advocatus habeat quadraginta ſoldos, & procurator viginti. Et a quinquaginta libris ſupra uſque ad centum incluſive Advocatus habeat tres libras, & procurator triginta ſoldos. Ex centum libris ſupra Advocatus habeat pro primo centenario tres libras, ut dictum eſt, & procurator triginta ſoldos. Et pro omni libra ab inde ſupra, quantacumque fuerit quantitas, habeat Advocatus ſex denarios, & procurator tres.*

VI.

Hunc tamen Ravennatis Libræ valorem pro temporum ratione, locorumque varietate immutatum eſſe docent, quæ ex libris, ut vocant *Reformationum Civitatis Eugubii*, in ſecretiori Archivo exiſtentibus, nobiſcum communicavit præſtantiſſimus, atque eruditiſſimus Abbas Joſephus Garampius Ariminenſis. In laudato autem libro habetur, ſtatutum fuiſſe Anno 1338. die 17. Februarii *quod in omni ſolutione, in qua Floreni auri intrarent, ſeu quod poſſent intrare, Florenus debeat dari, ſolvi, & recipi pro quinquaginta Sold. Ravenn.* Quam quidem pecuniam per id tempus plurimi factam fuiſſe indicant, quæ anno 1327. die 4. Feb. ibidem ſancita ſunt. *Quod nempe in nullis mercationibus poſſit dari pro pagamento moneta Eſculana, vel Marchionalis, cum ſit mala moneta, & quia figuram habeat Ravennatis, & in ſubſtantia, & veritate non valeat dimidium, & ſic tamquam deceptiva moneta, & fallax non currat.* Libram vero noſtram Peruſinæ duplam fuiſſe inde colligitur, quod, ut ſupra notatum eſt, binæ Ravennates Libræ unum Florenum æquarent, ad eum

eum vero conſtituendum quatuor Peruſinæ Libræ requirerentur. En verba quæ paullo poſt ſequuntur : *Item quod omnis moneta debeat ponderari aurea, & argentea ad pondera Peruſina, & debeat currere, & valere prout ibi currit & valet. Videlicet Vulterranus XX. den. parvos Peruſinos, Populinus XXX. Guelfus tres ſoldos, Anconitanus XLV. den. Florenus vero aureus IV. Libras, & XII. Den. dicte monete Peruſine parve.*

VII.

SED de *Solidis* ipſis, ac *Denariis* quid dicendum? Res quidem tenebris obducitur; non ita tamen, ut lux nulla prorſus affulgeat. Solidos duodecim denariis conſtaſſe, proindeque duodecim Denarios unum ſolidum æquaſſe, oſtendunt ea, quæ produximus, quum de Ravennatis Libræ origine ageremus: *perſolvat lib. unam Rav. pro denariorum ſolidis ſexaginta, & pro unoquoque ſolido ana denarios duodecim.* Ad quæ verba advertere oportet, quod tradit Ducangius in Gloſſario ad Scriptores Mediæ, & infimæ Latinitatis, vocem nempe *Denarii* adhibitam fuiſſe tum pro nummo cuſo duodecim nummulis conſtante, quem ſolidum dicebant, tum pro ipſo nummulo, qui duodecimam Solidi partem conſtituebat: uſu vero factum eſſe, ut majores nummi *Solidi*, minores vero *Denarii* adpellari ſolerent. De denariis etiam poſteriori hoc ſenſu intellectis eruitur ex Protocoll. xxxiv. Arch. Archiep. p. 554. (*a*) ab anno 1468. ad 1487. eorum duodeviginti æquaſſe *bajocchos* tres; ab anno autem 1488. ad 1517. quod per integrum annum 1535. etiam contigit, *bajocchum* unum.

VIII.

INQUIRENDUM modo ſupereſt, quomodo argentei nummi ab æreis in chartis, ceteriſque ejuſmodi monumentis ſecernendi ſint, quum id minime declarent. Hæc mihi conſtans opinio eſt, quum de *Ravignanis groſſis, ac parvis* abſolute loquuntur chartæ, argenteam pecuniam intelligi; quum vero de ſolidis ac denariis, eorumque libra mentio habetur,

M 2 num-

(*a*) Id nobis indicavit Advocatus Petrus Paſolinus, Patricius Ravennas, ac Provicarius Generalis, cui nonnulla alia debemus.

Digitized by Google

nummos ex ære conflatos innui. Argentiam monetam ex Archiepiſcoporum officina prodiiſſe docent, quæ diximus, ac nummi quos ſupra retulimus: eam vero per *groſſos*, ac *parvos* deſignari colligitur ex vetuſto Legum Municipalium codice laudata Rubrica V. ubi hæc habentur. *Et qui eam* (pecuniam) *recuſaverit*, *condemnetur pro quolibet denario groſſo in quinque ſolidis R. pro quolibet denario parvo in duodecim denariis*. Ubi vides *groſſos* a ſolidis, ac *parvos* a denariis abſolute dictis longe differre. Hoc autem diſcrimen vario metallorum generi, quo per ea tempora in ſignandis nummis utebantur Ravennates, tantum tribuendum videtur. Certe ex nummulo eo ſub Venetis percuſſo, *denarios parvos* argenteos fuiſſe inferri poteſt. Confirmantur hæc omnia exemplo aliarum urbium, quarum nummi majores, *groſſi* etiam dicti, ac *parvi*, argentei eſſe ſolebant. Qui plura cupit, conſulat ea, quæ de Nummis Patriarcharum Aquilejenſium diſſerit V. Cl. Bernardus de Rubeis, quæque de *groſſis* Venetis, Veronenſibus, & Tridentinis, *de Re nummaria Patavinorum* agens colligit doctiſſimus Brunatius.

IX.

Quæri tandem poſſet, cur ſuperioribus temporibus merces, ut agri, ædes, veſtes &c. paucarum librarum, ſolidorum, aut nummorum Ravennatum pretio venderentur, nunc vero longe majore ad id pecunia opus ſit. Verum huic difficultati ſatisfacit laudatus Bernardus de Rubeis p. 55. inquiens: *cauſſæ plures adduci poſſent; ac primo ipſa denariorum conditio*, *qui ſive pondus*, *ſive notam ſpectemus*, *deteriores ex officinis monetariis prodiere. Adde immanem auri*, *argentique vim advectam in Europam*, *ex quo tempore detectæ ſunt Indiæ Occidentales: inde namque factum*, *ut paſſim vili pendi pretio pretioſa metalla cœperint*. *Sed neque præteriri debet invecti luxus ratio*, *ſive qui ad victum ſpectat*, *ſive qui ad veſtitum*, *aliaſque hominum aut neceſſitates*, *aut voluptates*. *Aliæ demum ſunt cauſſæ*, *quæ repeti ex variis rerum*, *temporumque circumſtantiis poſſunt: neque diligentius eas expendere noſtra inter negotia eſt*. Dixi de eo pecuniæ genere, quæ apud nos conflata eſt: age nunc de extera quoque pauca dicamus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

De nonnullis exteris nummis, quibus poſt ſæculum Chriſti x. *ad ſæculum* XVI., *Ravennates uſi ſunt.*

I.

UT prætereamus *Solidos* auri, & Mancoſos, quorum jam inde a ſæculo Ch. VI. in Papyris ad Ravennam pertinentibus habetur mentio, ut erudite in Italicis Antiquitatibus Medii Ævi advertit Muratorius, præterque *Libras auri*, & *auri cocti*, quæ in chartis, ac codicibus vetuſtiſſimis memorantur, ut docet idem Auctor, utque videre eſt in hoc Archiepiſcoporum Chartophylacio, unde pleraque monumenta rem noſtram illuſtrantia deſumſimus; primi anno 1030. occurrunt *Denarii unius Crucis*, ſic dicti a ſigno, quod præferebant, his verbis: (*a*) Gebeardo (*b*) Arch. *anno Dom. propitio Pontificat. Dom. Pth.* (*c*) *Sum Pontificis*, & *univerſalis Pape in Apoſtolica Sacratiſſima beat. Petri ſede ſexto*, *ſicque imperante dom. Chonrado in Italia anno quarto die nono..... Ind. terciadecima...... vobis veſtriſque ſucceſſoribus vel Sancte veſtre Rav. Eccl. actoribus ſingulis quibusque annis in Menſe Marcii vel infra Ind. denarios quindecim de denariis unius crucis infere debeamus*.

II.

SUCCEDUNT *denarii Papienſes*, quos ſic refert charta anno 1039. Ravennæ conſcripta (*d*): *Denarios quadraginta de denariis Papienſium penſionem ſingulis quibusque indictionibus Sancte veſtre Rav. Eccl. inferre debeamus*. Papiam autem, ſive Ticinum jam inde ab iis temporibus, quibus Gothorum Reges eam Urbem incolere, atque amplificare cœperunt, pecuniam

(*a*) Capſ. E. 1799. (*b*) Integra charta legi haud potuit.
(*c*) Intellige Joannem XIX. & Conradum II.
(*d*) Capſ. E. num. 1838.

cuniam ſignaſſe, docet præter cætera Baduilæ nummus, de quo ſupra diſſeruimus.

III.

De Bizantiis quoque, & aureis loquitur charta (*a*), ſcripta *anno ab Incarnacione Domini noſtri Jeſu Chriſti mill. cent. ſeptuageſimo ſeptimo de menſe Novembri, octabo die, intrante indic. X. donno Alexandro Papa* (*b*) *Eccl. Dei..... Friderico romanor. imperatore regnante. Girardus* (*c*) *ſervus ſervorum Dei divina gratia ſancte ravennat Eccl. Archiepiſcopus, & ejuſdem civitatis exarchus &c. ſub ſtatuta penſione de prefata maſs ſolid. viginti, & per unumquemque ſolidum denarios XXXVI. & pro fundo papiriano bizanzium unum, & tertiam partem unius bizanzi, & pro fundo fabiani binos aureos &c.* In altera Charta ad annum 1058. referenda hæc moneta pariter indicatur. (*d*) *Anno Deo propitio..... Summi Pontificis, & univerſalis Pape in Apoſtolica Beati Petri ſede primo, die ſecundo Menſis Marcii Ind. XI. Rav. &c. Archiepiſcopo Sancte Rav. Eccl. vel ſuis Succeſſoribus, aut illorum nunciis reddiderint, vel perſolverint predicto Johanni de Alberto, & ſue Coniugi, vel illorum filiis, aut nepotibus debitum, quod eſt centum & decem libras de denariis veneticorum, & biſantios decem.*

IV.

Verum de nulla pecunia frequentius ſermo inſtituitur in Ravennatibus monumentis, quam de Lucenſi, ac Veneta. De utraque nunc differendum. In tabulis Gualterii Archiepiſcopi de Cavalcaconte Comite de *Caſtro Britonorio* (*e*) libram Denariorum Lucenſium, cui *Marabotini* adduntur, ſic anno 1130. invenias: *Pro eo quod centum libras bonorum denario-*

(*a*) Ibidem n. 1730. (*b*) Intelligendus Alexander III. & Fridericus Ænobarbus Conradi III. Patruus.

(*c*) Gerardus hic circa ann. 1170. Archiepiſcopus renunciatus, Alexandro III. numquam non adhæſit: cujus Pontificis binæ ad eum Literæ adhuc exſtant. (*d*) De Nicolao II. loquitur charta.

(*e*) Capſ. B. n. 381. Vide etiam Muratorium Diſs. Ital. Tom. I. p. 633. & Tom. II. p. 1248. ubi idem Archiepiſcopus laudato anno concedit jure Feudi nonnulla bona cuidam Mazziacani, qui ſolvere debeat *Denariorum Lucenſium viginti Libras.*

nariorum Lucenſium nobis tribuis coram ſubſcriptis perſonis...... & pro eo quod multum mihi, & ſucceſſoribus meis ſervire promittis, & precibus tuorum militum, & noſtrorum fidelium, remittimus tibi terciam partem de penſione, quam Anteceſſores tui noſtro Archiepiſcopatui reddere ſolent, & in feſtivitate S. Apollinaris octo Marabotinos dare pro penſione nobis promittis - - tunc dare, & componere promittit pars parti ſervanti fidem legitime boni auri libras ſex &c. Denarii Lucenſes infortiati viſuntur pariter in tabulis ad annum 1141. ſpectantibus hoc pacto: (*a*) *Anno ab Incarnatione Domini MLL cent. quadrageſimo primo, die primo Decemb. Indict. quarta arzente. Gualterius* (*b*) *Archiepiſcopus S. R. Eccl. debeat pro eo dare libras quadraginta quinque Den. Lucen Infortiatorum*. Subſcribit quidam *Ugo Tabellio, & Notarius*. Libra Lucenſis quoque ſic memoratur in teſtamento Johannis Ducis (*c*) obſignato. *In nomine Domini anno ab Incarnacione ejus mill. centeſ. ſeptuageſimo octavo, die nono decimo menſis ſeptemb. Ind. undecima Ravennæ &c. Relinquo ad dandum, & diſtribuendum poſt meum obitum pro anima mea de meis bonis ducentas libras Luc. & tertiam, quam inferius deſignavero: & pro predictis ducentis libris inveniendis habeant jam dicti fidei comiſſarii mei plenam poteſtatem &c. Ego Millaneſius Rav. Tabellio ſcripſi &c.* Solidos autem Lucenſes videas in charta quadam (*d*) ad Bagnolum, Caſtrum Eccleſiæ Ravennatis pertinente ſub Gubernatore Teodorani, per hæc verba: *Anno milleſimo centeſimo octuageſimo, tempore Alexandri Pape*, & *Federici Imperatoris die ſeptimo decimo..... Ind. XIII. in Bagnolo &c. Liceat vobis triturare, ſine viſione noſtra, noſtrum miſſum cum onore ſuſcipere debeatis ſine fraude, & omni anno in Natale dare debeatis fucacias duas, & galinam unam, & non vendere, nec donare, niſi inter vos, aut in Monaſterio noſtro, pro eo inde acceptare C† denariorum Lucenſium ſolidos quatuor. Scripſit Calvus*

(*a*) Capſ. L. n. 2448. (*b*) Gualterius hic, qui & Valterius in Tabulis dicitur, anno 1119. cunctis Clericorum ſuffragiis Archiepiſcopus factus eſt. Obiit ann. 1144. poſtquam XXV. annos Ravennatem Eccleſiam rexiſſet. Præclara de illo narrant Rubeus, Fabrius, atque Ughell.

(*c*) Capſ. B. num. 318. (*d*) Capſ. A. num. 44. Innuitur autem Alexander III. & Fridericus, de quibus paullo ante locuti ſumus.

vus Tabellio. Denarios tandem Lucanorum cernimus in tabulis (*a*) anno 1156. his verbis: *ſub ſtatuta penſione denariorum Lucanorum quatuor:* Libram vero eorundem in Diacepto vetuſtiſſimo Claſſis p. 177. per acta D. Bernardini de Boſiis Not. Rav. Ann. MCCCLXXXXIII. Ind. 1. die XXVI. Julii. *In centum annos renovandum pro tribus Libr. Lucanorum veterum*. Quid autem per libram *Lucanorum veterum* intelligeretur, exponitur in *Diacepto* ann. 1617. Ind. xv. 28. Julii pag. 42. per acta Alberti de Gambis hoc pacto: *penſionis nomine unum ſextarium fabarum, & tempore renovationis Libras tres Lucanorum, quæ pro vera intelligentia dictæ monetæ pro qualibet libra intelligitur florenus auri, qui tunc valebat ſolidos triginta duos*. Idem etiam declaratum ſuerat in Diacepto novo Claſſis de anno 1544. Ind. II. die II. Menſis Maii *per acta* Dom. Hieronymi a Portu, cujus verba omittimus, ne recoctam crambem exhibeamus.

V.

Ad Venetam pecuniam nunc gradum facio. Eam jam inde ab anno 1058. Ravennæ adhibitam fuiſſe vidimus, ubi de Biſantiis ageremus: quod anno etiam 1079. factum fuiſſe docent excerpta ex Archivo Portuenſi, Capſa prima, quæ *diverſorum Inſtrumentorum* inſcribitur per hæc verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Regnante Henrico Imp. Filio q. Henrici Imp. anno 23. ſub anno dominice Incarnationis 1079. Ind. II. Rav. P. Martinus Abbas S. Marie & S. Andree in Inſula Sarra dedit jure pacti Dominico Monacho, qui vocabatur de Bruſco nomine Mon. S. Marie de Pompoſea quinque Tornat. terreq. territorii Rav. plebe S. Petri intra ſilvam cum penſione annua duor. Denar. Venet. Joannes Rav. Tab.* Dominicus Monachus ſubſcripſit. Poſt hunc annum autem vix credas, quam frequenter ejusmodi denarii occurrant. De Solidis Venetis vero hæc invenias in Tabulis (*b*) Gualterii Archiepiſcopi, Abbatem Monaſterii S. Petri in Vinculis reſpicientibus anno 1122. *donec vero divinitas in ac luce juſſerit permanere, ſub ſtatuta penſione Denariorum veneticorum ſolidos duodecim Venet. ſingulis quibus-*

(*a*) Capſ. G. num. 2675. (*b*) Capſ. A. num. 367.

Digitized by Google

buſque . Indictionibus actoribus S. noſtre Rav. Eccleſie ſolvere debeatis. Sic pariter indicantur in charta (*a*) ſcripta per Calvum Rav. Tabell. *Anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo octavo, tempore Innocentii Pape, die quartodecimo menſis Julii Ind. I.* ubi hæc habentur. *Non liceat nobis triturare, neque vendemiare ſine viſione veſtra, veſtrum miſſum cum onore ſuſcipere debeamus ſine fraude, pro eo inde acceptare denariorum Venetorum ſolidos viginti*. Demum *Ducati Veneti aurei* cernuntur in tabulis (*b*) anno 1439. confectis ſedente Eugenio IV. ubi etiam quantum valerent exponitur: *Damianus filius quondam Magiſtri Sanctis de Panochis de Bagnacavallo, capitanius habitator civitatis Ravenn. fuit confeſſus, & contentus habuiſſe, & recepiſſe, ac ſibi integre datos, ſolutos, & numeratos fuiſſe ſine ulla diminutione, vel deffectu aliquo a Magiſtro Guarnerio q. Magnifici de Cremona fornaſario habitatore civitatis ravenn. ducatos quinquaginta venetos boni auri, & juſti ponderis ad rationem ſolidorum quadraginta ſeptem Ravennatum pro quolibet Ducato*. Exſtat quoque apud Carolum Raſponium Patricium Ravennatem *Inſtrumenti* cujuſdam exemplum autenticum, quod ſervabatur olim penes Hieronymum Raſponium, Proſperi, & Theſei, quos heic honoris cauſſa nominamus, Proavum, quo *anno mil. centeno, Ind. V. die II. menſis Madii, tempore Pontificatus Dom. D. Paſqualis divina providentia Pape ſecundi in Civitate Ravenne, in Domo magnifici Dom. Franciſci de Ferondis Equitis, & Senatoris Sancte Romane Eccl. preſentibus Dom. Antonio de Palatiis, & Dom. Nicholao de Traverſariis, & Dom. Jacobo de Honeſtis —— magnificus, & generoſus Oſtaſius de Raſponis de Ravena, Eques, & Senator Sancte Romane Eccl. fuit contentus, & confeſſus ſe habuiſſe, & accepiſſe, ac ſibi integre datos, ſolutos, ac numeratos fuiſſe, traditos a Dom. Franciſco de Ferondis dante, & ſolvente dotis nomine pro dote Dom. Cornelie ejus filie, ipſi Dom. Oſtaſio de Raſponis matrimonio copulate &c. ducatos trecentos aureos*. Ducatos autem ejuſmodi abſolute dictos a Venetis minime diſcrepare arbitramur.

N VI.

(*a*) Ibidem num. 47. atque Innocentius II. heic intelligendus.
(*b*) Capſ. Q. num. 8829.

VI.

PRÆTER relata nummorum genera, libræ, ſolidi, ac denarii Imperiales paſſim offenduntur. In tabulis Gerardi (*a*) Archiepiſcopi de *Gandulfino*, & *Guidone* fratribus &c. anno 1182. a Nigro Tabellione Plebis S. Mariæ in Portu exaratis, habemus: *Sub ſtatuta penſione omni anno dare debeamus Imperialem unum, & predictam rem cultare*. In mutuo quodam Wilielmi Archiep. (*b*) anno 1194. *die quinto exeunte menſis Aprilis Ind. duodecima Rav. a Ravenno Tabellione* in tabulas relato, hæc continentur: *pro eo quia dediſtis, & mutuaſtis nobis quadraginta, & unam Libr. Imperialium, & octo ſolidos —— ſub pena ſex libr. Imperialium*. In locatione cujusdam Vallis, quam *Symeon Dei gratia* (*c*) *Sancte Rav. Eccl. Archiep.* concedit *Amolo pro ſe ſuisque liberis*, hæc de *libra Imperialium*, cum qua *Bononienſis Libra* conjungitur indicantur: *pro eo quia das nobis inde centum libras Bon. unde promittimus pro nobis, noſtrisque Succeſſoribus in dicta Eccleſia nobis ſucedentibus dictas res a nobis tibi conceſſas ab omni perſona hominum auctoriare, ac defenſare tibi predicto Amaldulo, tuisque liberis, & heredibus hinc ad ſupradictum terminum ſub pena XX. Lib. Imp. Et ego Johanes Divin. G. Sancte Rav. Eccl. & publi. Portus Tabellio &c.* Integram tandem chartam vulgabimus (*d*) ad annum 1217. referendam, in qua non de Solidis Imperialibus tantum, ſed de nonnullis ad Archiepiſcopatum pertinentibus ſcitu dignis differitur. *In nomine Domini anno ab ejus nativitate MCCXVII. XVIII. Kal. Madii Ind. V. Tempore Honorii P. P. Argente ſub porticu domus curie extra Caſtrum, in preſentia Presbiteri Alberti Card. Presbiteri Amati Cant. Presb. Boni, Presb. Andree Capellanorum Dom. Symeonis Raven. Electi* (*e*), *Presb. Benvenuti de Argenta, Dom. Bonfilii, Dom. Miſii Judicis, & majoris partis hominum Argente. Dom. Arcon. juravit fidelitatem Dom. Symeoni Raven. Electo, & Eccl. Raven. ac ſuis ſucceſſoribus catholicis Fidelitatis capitulis diligenter expreſſis,*

ed

(*a*) B. num. 311. (*b*) Capſ. G. num. 2523.
(*c*) Capſ. L. num. 4853. (*d*) Ibidem num. 4790. Hic annus primus Honorii III. indicatur. (*e*) Symeonis Cervienſis antea Antiſtitis primus itidem hic annus erat.

ed idem dictus Dominus electus, inveſtivit eundem Arconem de Vicecomitatu Argente, & toto ſuo diſtrictu, & comitatu ad ſuam, & ipſius voluntatem, ac Succeſſorum ejus, conſtituens ſibi pro ſuo beneficio, & feudo certos redditus, quos diligenter duxit exprimendos. Iſta ſunt que percipere debet Vicecomes Argente. Primo duo paria pannorum debet habere a Curia in anno a ſcarlato inferiori, quæ magis voluerit, yemalia ſcilicet, & eſtivalia, & poteſt tenere tres equos ſuos ſub expenſis Curie, qui ſi morerentur de dextrario, habebit Mda. XX. lib. Imperiali: de Palafreno, & Ronizino quod juſta extimatione valuerint. Et poteſt tenere tres ſuos ſervientes paſtos, & indutos expenſis Curie, & debet habere tertiam partem bonorum omnium, & placitorum, & maleficiorum. De collecta Portus debet habere viginti Solidos Imperial. ab ipſis hominibus. De aliis terris debet habere de quolibet ſoldo denarium, excepto decimato Marmore, in quo percipiat ſecundum quod eſt antiquitus conſuetum, & hoc ad voluntatem Dom. Archiepiſcopi. Hanc autem Balivam recepit dictus Vicecomes ad ſuam voluntatem retinendam, & dimittendam, & ad voluntatem Dom. Archiepiſcopi, ſicut ſuperius dictum eſt. Ad que omnia preſens ego Johannes Tabellius, & S. Rav. Eccl. Notarius, ut audivi, & intellexi, ſcripſi, & in publicam formam redegi.

VII.

ADDUNTUR Imperialibus Marchæ, & Floreni. De utriſque paſſim mentio fit apud Rubeum. Nos tamen morem noſtrum ſecuti ea tantum attingemus, quæ in chartis cernimus. De prioribus hæc recitantur in Charta Tabularii Eſtenſis apud Muratorium (*a*) quæ continet Capitula pacis initæ inter Civitates Ferrariæ, & Ravennæ anno 1200. *Et nec aliud debent Ferrarienſes dare Ravennatibus pro Datio Salis, niſi tantum tres ſoldos parvorum pro centenario Salis, & duos Ravegnanos pro urbibus. Et quecumque pars hunc finem, & pacem, & promiſſionem, ſecundum quod dictum eſt non obſervaverit, det obſervanti nomine pene quinque millia marchas*

(*a*) Antiq. Ital. Tom IV. pag. 373.

argenti &c. In aliis tabulis anno 1221. (*a*) a *Joanne Redulfi Forl.* exaratis, quibus *Federicus Dei gratia Rom. Rex confirmat permutationem quamdam Merchoaldi Dapiferi cum Comite Uberto*, legitur. *Impoſuimus vobis bannum quingentarum marcharum argenti; medietatem autem banni camere mee, & aliam medietatem ipſi Comiti volumus perſolvere.* In charta pariter impoſitionis Procurationum pro Johanne Epiſcopo *Eſino Apoſtolico Nuncio diſtribuendarum inter Eccleſias, & Diœceſes Ravennaten. Bononien. Reginen. & Mutinen. confecta anno* 1291. hæc inveniuntur (*b*): *Quia igitur pro procuratione predicta quindecim marchas boni argenti, ſeu octuaginta unum florenos auri juxta quantitatem procurationis ipſius nobis per ſedem Apoſtolicam deputare pro ſex diebus predictis, quibus &c.* Vides heic marchas quindecim argenti, unum & octuaginta florenos auri ſub finem ſæculi decimi tertii æquaſſe. Nec reticendæ hoc loco ſunt tabulæ, quæ exſtant apud Sigismundum Comitem Brandolinum, Patricium Forolivienſem, a *Thomaſio quondam ſer Franciſſi de Ceſena* Notario confectæ, quibus anno 1394. Ind. 2. die 26. Aprilis in Caſtro Aquiliani Eccleſiæ Ravennatis, diœceſis Britinorienſis, Barnabas a Leoneſſa Canonicus, & Cardinalis Connati, tunc temporis laudatæ Eccleſiæ *Adminiſtratoris*, Vicarius generalis, eodem mandante in Emphyteuſim concedit Dom. Malateſtæ Nicolai Filio, Ramberti nepoti, Caſtrum *Valdipondi* cum aliis nonnullis, quæ ibi declarantur. Præter cetera autem hæc de marchis argenti leguntur: *Promiſit Dominus Malateſta per ſe ſuosque filios, & nepotes dicto Dom. Vicecomiti recipienti in nomine dicti Dom. Adminiſtratoris Eccleſie Raven. attendere, & obſervare, non officere, vel venire per ſe, vel per alios aliqua ratione, vel cauſa, de jure, vel de facto ſub pena promiſſa quingentarum marcharum argenti.* Verum hæc ſufficiant.

VIII.

(*a*) Capſ. H. num. 3343. Vides Fridericum II. qui eodem tempore ac Otho IV. regnavit.

(*b*) Capſ. N. num. 6479.

VIII.

De Florenis vero hæc paucis habeto: (*a*) *Anno Domini Nativitatis milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſexto, die tercio decimo menſe Junio in Bononia in domo Domini Lambertini &c. Ugerius de Codonio Notarius Familiaris Venerabilis Dom. Bonifacii Dei gratia Sancte Ravennatis Eccl. Archiep. & nomine ipſius Dom. Archiepiſcopi centum florenos aureos perſolvit pro reſtitutione centum florenorum aureorum, quos mutuaverit in aula romana, & fuit confeſſus, & manifeſtus ipſe Dom. Girardinus habuiſſe, & recepiſſe ab ipſo Ugerio dante, & ſolvente nomine prefati Dom. Archiepiſcopi nonaginta florenos aureos, bonos, & legales pro reſtitutione nonaginta florenorum aureorum, quos Dom. Franciſcus Siccus mutuaverat in curia Romana prefato Dom. Archiepiſcopo*. Exprimitur vero ejusmodi florenorum valor in charta appellationis (*b*) Cleri *Ravennaten. ſuper diſtributione cujuſdam collectæ, impoſitæ per Nicholaum Epiſcopum Oſtienſem Legatum Apoſtolicum in Conſiſtorio Palatii Archiepiſcopalis Ravennæ, anno Domini* 1304. *die* 28. *Jovis menſis Madii, Ind. II. per acta Oſtaſii de Artuſinis de Ravena Sacræ Ravennatis Eccleſie Notarii* his verbis: *& quia floreni aurei valent longe ultra, quam valere conſueverint pro XXV. ſolidis, & pro triginta ſolidis Ravignanis, ac plus tempore collectarum procurationum aliorum Legatorum Apoſtolicæ Sedis, & nunc valent XL. ſolidis Ravignanis, & ultra, & pro quadraginta ſolidis communiter expendantur &c.*

IX.

Postremi inter exteras pecunias accedant *Ferrarini*, *Aquilini*, ac *Bononini*, quorum poſteriores jam inde a ſæculo Ch. decimo tertio in urbem fuiſſe receptos liquet ex eorum temporum monumentis. Ferrarinos in veteres, ac novos diviſos fuiſſe nemini dubium eſſe poteſt. De Ferrarinis novis, deque ſolidis Ferrarinorum ſæpe mentio occurrit in *Diacepto A* menſæ *Archiepiſcopalis Ravennæ*, quod in Ferrarienſi Archi-

(*a*) Capſ. A. num. 237. (*b*) Capſ. N. num. 6779.

Archivo ſervatur. De veteribus autem in charta (*a*) *per Bartholameum filium quondam Ser Bon de Ceneta* conſcripta *anno Domini milleſimo trecent. octuageſimo Ind. quarta, die quarta decima menſis Marcii ſuper plateam Magnam Ferrariæ &c. qua nobilis Vir Nicolaus natus nobilis Viri Gerardi de Prata, Revdiſsmi in Chriſto Patris, & Dom. Dom. Pilei miſeratione divina tituli S. Praxedis Presbiteri Cardinalis, & Adminiſtratoris S. Eccl. Rav. Vicecomes, & Officialis generalis, ut patet publico Inſtrumento ſcripto manu Ser Nerii quondam Gerii de Rogeriis de Piſſis, fuit contentus, & confeſſus ſe habuiſſe, & recipiſſe a Bonfracello de Perondellis de Ferraria unum Ferrarinum veterem pro penſione ſuorum bonorum, que tenet ab Eccleſia Rav. in fundo Manſi Taurelli cum hac proteſtatione, quod per hanc receptionem non intendit prejudicare alicui juri Eccl. Raven. ſi dicta bona aliter eſſent recaduta, aut propter aliquam aliam rationem, vel cauſam &c.* Ex Ferrarinis autem Libram Ferrarinorum conflatam fuiſſe ex chartis liquido apparet. In Dominii cujuſdam Tabulis a Filippo Fontana Archiepiſcopo tributi anno 1254. die 7. Januarii (*b*) hæc de ea habentur. *Voſque ſupradicti, Filii, & Nepotes veſtri ſub ſtatuta penſione trium ferrarinorum daturi eritis noſtre Sancte Eccl. nomine pene centum libras ferrarinorum.* In aliis pariter Tabulis ejuſdem Fontanæ ad laudatum annum pertinentibus, legimus: *Quod ſi omnia non obſervaveritis, aut in aliqua de ſupradictis conditionibus extra agere audebitis, non ſolum cadatis, verum etiam daturi eritis Sancte Ravennaten. Eccl. ante omne litis initium, aut nomine pene quadraginta libras Ferrarie.* Nil aliud de hac pecunia, deque Bononienſi addemus, quod de iis ſufficere videantur, quæ hactenus diſſeruimus. Id tantum advertendum occurrit, utraſque recenſeri in Charta nonnullas *Inveſtituras* continente, anno 1360. ſcripta, ubi etiam diſcimus tres Aquilinos æſtimatos fuiſſe quadraginta Ferrarinos. (*c*) *Solvere debeatis quatuor Libras cere nove, & octuaginta ferrarinos ---- ſex ſoldos bonon..... depoſuit penes Donum Gerardum presbiterum Catedralis Majoris Eccl. Fer duas libras*

(*a*) Ibidem num. 7060. (*b*) Ex Libro *Inveſtiturarum* ejuſdem Chartoſilacii. (*c*) Capſ. Q. num. 8772.

libras cere, & tres Aquilinos pro ſolutione quadraginta Ferrarinorum in altera parte.

X.

At quid *Aquilini?* Eos ſic adpellatos fuiſſe ab Aquilæ ſigno facile conjicitur. Aliquis tamen hoc nomen ab Aquila Urbe in Regno Neapolitano derivabit, quam à Joanna Regina cudendæ monetæ jus accepiſſe ex Berardino Cirillo docet Antonius Vergara (*a*). Verum tot fuerunt nummi, qui Aquilam exhibuerunt, ut res incerta omnino relinquatur. Nil ultra adjungimus, quod de iis erudite egerit Brunatius (*b*) aliique: ſilentio etiam prætereuntes quicquid de Imperialibus, Marabotinis, Bizantiis, aliiſque ejusmodi monetis dici poterat, ne rem, præ ceteris, a Ducangio, ac Muratorio præclare actam retexamus. Antequam vero manum de tabula, fatemur quidem per totam Diſſertationem aliquando vocibus uſos eſſe, quæ ſæquioribus temporibus civitate donatæ ſunt: id autem ideo fecimus, ne ab eruditorum ſermone recederemus: malo enim, cum Lectoris ſtudio ſim obſecutus, deſiderari ab eo in ſcriptis meis elegantiam, quam ſi non fecerim perſpicuitatem, atque conſuetudinem.

XI.

Ne quid tandem rei huic nummariæ deeſſet, ſubjiciendum duximus valorem pecuniarum, qualis cernitur apud Rubeum Hiſt. Rav. p. 828. Illum autem ex *Diacepto Veteri Menſæ Archiepiſcopalis* deſumſiſſe, verbis paullo immutatis, docet Index, quem eidem adjungimus, ut ſi cum paucis iis, quæ nos ipſi in Diſſertatione animadvertimus, conferatur, incrementi aliquid res tota accipiat.

Valor pecuniarum ex Rubeo

Byzantius valet duas partes floreni.
Uncia auri valet quinque florenos in argento, alias 8.
Libra ceræ valet ſecundum conſuetudinem regionis.
Obolus auri valet ſex toronenſes argenti.
Milichinus valet ſex toronenſes argenti, alias unum florenum
Toronenſis argenti valet 40. *bonon. parvos*

Soli-

(*a*) Monete del Regno di Napoli p. 59.
(*b*) De Re Nummaria Patavinorum p. 46. & 47.

Solidus Sequiſinorum valet duos ſolidos Imperialium.
Viginti Solidi Lucenſium valent unum florenum.
Duo Solidi Papienſes valent unum Turonenſium argenti.
Libra auri valet 96 florenos auri.
Venen. de Roma, & Manſarutus de Alba valent unum florenum
XVIII. Solidi Imperialium valent unum florenum auri.
Libra argenti valet ſex florenos, & duos quartarios auri.
Solidus auri valet medium florenum, & tertiam partem alterius.
XII. Turonenſes valent unum florenum.
Marabotini, ſive Marabatini qui ſint, vide in c. cum olim de privileg. & apud Ludovicum Gomes in commentario in Regulas cancelleriæ, in fine.

Valor pecuniarum ex Diacept. Vet. Menſæ Archiep. Rav. p.443.

Beſancius valet duas partes unius floreni.
Uncia auri valet quinque florenos in argento, alias octo in auro.
Libra ceræ valet ſecundum curſum, & conſuetudinem Regionis.
Obulus auri valet ſex turonios argenti.
Maluchinus auri valet ſex turonios argenti, alias unum florenum.
Unus ſolidus Segruſinorum valet duos Solidos Imperialium.
Viginti Solidi Lucenſium valent unum florenum auri.
Duo Solidi Papien. monetæ valent unum toronenſem argenti.
Libra auri valet nonaginta ſex florenos auri.
Venenus de Roma, & Maſſamittus de Alba valent XII. Solidos dictarum monetarum, unum florenum.
Decem octo Solidi Imperialium valent unum florenum auri.
Libra argenti valet ſex florenos, & tres quartarios auri.
Solidus auri valet medium florenum, & tertiam partem alterius.
Florenus auri valet XII. turonios, & medium argenti.

FINIS.

APPENDIX.

QUUM ad exitum properaret editio, traditæ ſunt nobis ab humaniſſimo Viro D. Gabriele Maria Scarmaglio Monacho Caſinate, atque ad D. Vitalis Ravennæ Priore, binæ *Bartholomæi Roverellæ* epiſtolæ, quæ in codice quodam litterarum *Hieronymi Aleotti*, *Abbatis* olim *SS. Floræ*, *& Lucillæ de Aretio* continentur, quasque non ita diu poſt cum Vita Auctoris, atque eruditis notis laudatus Scarmaglius eſt emiſſurus. Eas heic addere cum quatuor ipſius Aleotti epiſtolis ad Roverellam datis ab inſtituto meo haud alienum duxi, quum nonnulla ad præſtantiſſimi Antiſtitis Hiſtoriam amplificandam inde colligi queant. Speramus autem fore, ut id conſilii eruditis, quorum cauſſa labores omnes noſtri ſuſcepti fuere, probetur.

Reverendiſs. Dom. Bart. Roverellæ, Tituli Sancti Clementis Presbytero Cardinali.

PRO maximis ad tuam Dom. delatis honoribus ſatis mihi factum hactenus exiſtimaveram, ſi meæ gratulationis mihi ipſe conſcius fierem, veritus ne ſi per litteras eam tibi, qua eſſem affectus, lætitiam explicarem, in ſuſpicionem venirem apud te captandæ gratiæ, aucupandæq. per gratulatorias litteras benevolentiæ. Itaque contentus tacita conſcientia apud ſodales duntaxat, & amicos illos, quibuscum quotidiana mihi eſt conſuetudo, gaudia pectoris aperire contenderam, nunc bonitatem tuam repetens, nunc facilitatem in omnes, nunc officia in amicos, nunc agendarum prudentiam rerum, ut ſi multis hujusmodi Cardinibus Romanam Eccleſiam fulciri contingat, facile quidem, nulliusque negotii fuerit cunctos hoſtes humanitate, atque officio victos excludere. Nunc vero Nobilis vir Dom. Alexius, quem pro ſua bonitate Patrem hujus patriæ noſtri omnes exiſtimant, cum multa per eos dies, quibus apud nos fuit, & apud pleroſque alios, & apud me frequenter de tua Virtute diſſereret, extorſit invito, ut contra conſuetudinem, ac vetus inſtitutum ego tantillus homuncio ad R. Dom. tuam auderem ſcribere. Satis

enim mihi factum iri exiſtimare debeo, ſi te admirari, ſi cum aliis meæ ſortis hominibus verba de te facere datum ſit. Arrogare autem mihi ipſi ſcribendi officium, ad tam excellentiſſimæ dignitatis virum, impudentis potius ac temerarii, quam civilis, & urbani hominis eſſe videbatur; ſed in Alexium omnis hæc culpa referenda eſt, qui me ſubtimidum, & verecundum improbitate quadam impegit ſua, uti procax, impudensque fiam ad te ſcribendo. Alexius igitur noſter multas, easque veras cum Dom. tuæ tribuat laudes, illud in primis & prædicare de te, & admirari ſolet, iisdem te planiſſimis, & humaniſſimis moribus eſſe nunc ampliſſima dignitate auctum, quibus etiam privatum hominem fuiſſe meminimus: illuſtre profecto teſtimonium ingenui animi, & apertum veræ, atque innatæ nobilitatis inditium, nullis honoribus efferri, nulla dignitate inſoleſcere, planum ſe cunctis facilemque præbere. Ea enim, cum Regum, & Principum ſua, & propria virtus ſit, quam Clementiam dicimus; majus aliquid de te portendit, & ſervorum tuorum animos majora de te ſperare hortatur, & jubet; quod uti Dom. tuam nulla ambitione cupere exiſtimamus, ita quoque amici tui, qui Chriſtianæ Reipublicæ vel reformandæ, vel conſervandæ rationem habent, votis id omnibus concupiſcunt; quamquam & in eo gradu, quem nunc tenes, non mediocriter Eccleſiæ utilitati conſulere potis es. Sed aliud eſt fungi hortatoris, ac ſupplicantis officio, aliud moderatoris, & aurigæ, cui libertas ſit, & frenos comprimere, cum opus eſt, & habenas pro libitu relaxare. Verum iſta arcano Dei noſtri relinquamus conſilio, ſub cujus tutela Reverendiſs. Dom. tuam dies, ac noctes incolumem, felicemque ſervari, & cupimus, & oramus.

Bartholomæus Cardinalis Ravennenſis

Hieronymo Abbati Sanctæ Floræ.

Rever. Pater, Amice noſter Chariſſime.

VIR optimus, ac noſtri Amantiſſimus Alexius conterraneus tuus iſthinc rediens a te litteras attulit, ex quibus eam delectationem, voluptatemque percepimus, quam

ex

ex amicorum, & eruditiſſimorum hominum ſcriptis percipere ſolemus. Ex tua enim Epiſtola, & tuus optimus erga nos animus, & tui ingenii præſtantia, ac ſuavitas, magnaque humanitas, & eruditio cognoſci, & judicari facillime potuit. Non erat autem quod verearis, niſi nobis per litteras fuiſſes, pro dignitate, quam eſſemus adepti, gratulaturus; neque id a te propterea factum putaremus, quod gratiam captare, aut benevolentiam aucupari voluiſſes, cum opinio a nobis de tua ſingulari doctrina, & probitate jamdiu concepta, utramque multo antea conciliaſſet. Valet enim apud nos, quod apud pleroſque homines, ingenii, ac virtutis opinio. Tua igitur vel taciturna iſta, vel hæc non ſera per litteras gratulatio, nobis gratiſſima, & jucundiſſima fuit. Alexio vero, quando, pro tua modeſtia, te ab eo dicis perſuaſum, debemus, & ut homini officioſo gratias coram egimus; quod autem tam multa de nobis prædicavit, fecit pro ſua humanitate, & mea mutua veteri familiaritate; & tu pro tua qui nobis non minora tuis litteris tribuiſti. Utinam veſtra, & cæterorum, qui idem ſentiunt, opinione, ac judicio digni eſſemus. Enitemur tamen, ne quantacumque honorum acceſſio, ac dignitatis amplitudo ulla ex parte nos efferat; quoniam ita nati, ita educati, ac inſtituti ſumus, ut in omnibus rebus, & quibuscumque actionibus noſtris moderationem retinere cupiamus, ac intelligamus nullis fortunæ exceſſibus ab honeſtate, ac officio recedendum; facta eſt quædam dignitatis mutatio, idem ſemper animus remanſit, & permanebit. Poſtremum in hac Epiſtola ſit, ut nobis quocumque tempore pro tuo arbitratu, & judicio utaris. Utinam noſtra auctoritas in his, quæ ad tua ornamenta, & commoda pertinuerint, voluntati par eſſe, & reſpondere poſſit. Tibi noſtram operam, & ſtudium pollicemur. Vale. Beneventi pridie Kal. Quintiles 1464.

Reverendiſſimo Domino Bartholomæo Roverellæ Cardinali Ravenn.

SUPERIORE anno ſcripſeram ad Reverendiſſimam Dom. Veſtram per optimum, & generoſum virum Dom. Alexium conterraneum meum. Eveſtigio multo etiam fœnore ad me illa reſcripſit cultiſſimas litteras, & multo ſplendore conſpicuas;

cuas; quibus etſi alias reddere ad agendas, ut par fuit, gratias ſummo ſtudio deſideravi, quia tamen ſumus hoc loco importuoſo, & tamquam inacceſſibili, ac pæne invio, caritate, ac penuria nunciorum paulatim intepuit, & refrixit is reſcribendi ardor ſenſim ad ignaviam, ſocordiamque prolapſus. Nunc vero me præſentia ipſa Domini Alexii memorem reddit, & tamquam ad æs alienum diſſolvendum inſtigat, ut fato quodam meo videatur obtingere, quo forte litteræ gratiores ſint, per Alexium ſcribere, hominem Domin. veſtræ mirabili affectu dedititiſſimum. Quod igitur de me egregia quædam opinio pectus imbuit Reverendiſs. Dom. Veſtræ, & placet admodum, & grandis muneris loco eſſe debet. Sane illud moleſtum eſt, quod ea ipſe in me non intelligo, neq. agnoſco, quæ de me Reverendiſs. Dom. Veſtra videtur ſentire. Inſuper oblationes veſtras ingenuas profecto, ac liberales toto amplector animo, & ago, quas valeo gratias. Mitto ſcripta quædam mea, res non uſquequaque ſerias, ſed potius per jocum, riſumque legendas. Nam ſi Democritus ſenſit, veritatem in puteo ſic alto, ut nullus fundus ſit, jacere demerſam; & hoc de omnibus communiter rebus dixit; quid de futuris ſentiendum, quorum ſolus Deus notitiam habet? leget igitur illa Reverendiſs. Dom. veſtra, riſus, & ſolatii materiam captatura, meque novum prophetam, ut pollicita eſt, numero ſervorum ſuorum adjiciet.

Aretii die VII. Junii 1464.

Reverendiſſimo Domino Bartholomæo Roverellæ Cardinali Ravenn.

CLARISSIMUS juris conſultus, & equeſtris vir ordinis Dominus Bernardus Conterraneus meus, cum me officio Dom. veſtræ impendio ſalutaverit, viſus eſt ferme carbones ignis juxta divinas litteras congerere ſuper caput meum; quid enim mihi gratius poſſit obtingere, quam in ejus principis verſari memoria, qui tamquam ſydus in Eccleſia Dei præfulgens, non modo dignitate ampliſſima, ſed, quod majoris penditur, admirabilium quoque virtutum rutilo ſplendore coruſcat? quod vero illuſtrius benevolentiæ ſignum, quam

quam magnis in rebus, & arduis negotiis occupatiſſimam Dom. veſtram vilis quoque vermiculi memorem eſſe? hac beneficii magnitudine ita vel facundiam, vel potius infantiam meam intelligo ſuperari ut quibus verbis agendæ ſint gratiæ Dominat. veſtræ, reperire non valeam. Lætitia inſuper immodica ſum affectus, quod ab eodem Dom. Bernardo intellexi, Magiſtri Anſelmi ſervitia haud quaquam ingrata exiſtere Dominat. veſtræ, hominemque vobis charum eſſe in primis. Quamobrem & ſibi, & ſuis omnibus admodum gratulor. Complectitur amore ſuo Reverend. Dom. veſtra noſtræ Aretinæ patriæ homines, ut in dies ſingulos videre videor; quare ſi quem ego ex noſtris dignum eſſe intelligam, qui ad gratiam veſtram orrepat, fidenter eumdem vobis commendare auſim, præcipue id poſtulantem, & ad veſtra anhelantem ſervitia. Eſt juris Pontificii Doctor egregius Dominus Nicolaus de Catenaciis, trigeſimum annum agens, nec etiam juris civilis ignarus, bonarum inſuper litterarum non expers, vir ſedatiſſimo ingenio, & moribus potius Angelicis, quam humanis; Clericus eſt, & ad Sacerdotium, ut puto, adſpirat; Si Rever. Dom. veſtra opera illius indigeat, habebit in ſua Curia virum, qui reliquæ familiæ veſtræ totius humanitatis, ac facilitatis ſpeculum ſit futurus. Equidem tantas illius laudes non inculcarem auribus veſtris, ſi exiſtimarem poſſe aliquando mendacii, ac vanitatis argui. Dom. Bernardus noſter ingenium hominis compertum habet, ab illo poterit Dom. veſtra de ipſius laudati doctrina, & moribus explorare. Quod ad me attinet, ſpero propediem cernere, quod diu deſideravi, videlicet Abbatiolam hanc meam reformandam per Monachos S. Juſtinæ. Illos ego jam pridem laceſſivi abnuentes, & cauſantes reditus non ſatis amplos ad obſervantiam Regularem; aſſenſere tandem improbitate litterarum mearum defeſſi. Cedam igitur adminiſtrationi, reſervato mihi Abbatis titulo cum aliqua penſione vel parva. Si Rever. Dom. veſtra in Curia nunc ageret, res veſtris gereretur auſpiciis, nec ullus apud me reſideret metus, ſeu dubitationis ſcrupulus, quo minus res ipſa pro voto conficeretur; Nunc vero per abſentiam Dom. veſtræ harpiarum voracitatem vereor, quæ apertis inhiant faucibus, terras, & maria voraturæ. Experiar tamen, & periclitabor amicorum vires, atque ingenium in Curia nunc agen-

agentium. Bene valeat Reverendiſs. Dom. veſtra, cui me commendo. Aretii die .... Octob. 1472.

Reverendiſs: in Chriſto Patri, & Domino, Domno Bartholomæo S. Romanæ Eccleſiæ Tituli S. Clementis Presb. Cardin. Ravennati

Hieronymus Aretinus S. Floræ Abas S. D.

REGUM, ac Principum menſæ, quas per ſingulas cœnas pretioſis inſtructas dapibus non ignoramus, interdum tamen lactucas cum aceto, interdum viliſſima poma non reſpuunt. Hæc enim poſt epulas illata faſtidium, & ſatietatem adimunt; illa ſuperiora irritamenta ſunt quædam appetitus, & gulæ; non abſimiliter, qui vinis ſuaviſſimis ſunt aſſueti, aliquando etiam videntur expetere illius generis vina, quæ acre quiddam, & mordicum præſeferant. Cum igitur curioſa, & accurata diligentia Bibliothecam tibi confeceris optimis libris oppletam, in qua frequenter, tamquam in paradiſo deliciarum ſumma cum voluptate verſaris, ſi quando te ſuaviſſimorum ciborum ſatietas cæperit, hunc ego mearum Epiſtolarum codicem offero, veluti nuces, & agreſtia quædam poma, quæ aſperitate ſua ſatietati epularum, ac faſtidio mederi ſolent. Ea potiſſimum ratione inductus, quod primarios amicos meos, ad quos ipſæ diriguntur Epiſtolæ, chariſſimos quoque tibi, ac dilectiſſimos vel eſſe nunc qui ſuperſtites ſunt, vel jam fuiſſe non dubito, qui diem ſuum obierunt. Non me clam eſt quanto amore, & ſtudio complectebaris Bartholomæum Zabbarellam, Franciſcum Coppinum, Alexium Aretinum, Leonardum Dathum, Poggium dictum Florentinum, Pium II. Pontificem Maximum, & pleroſque alios, quorum nominibus ipſi mearum Epiſtolarum libri ſunt refertiſſimi. Non igitur puto Dom. tuam inter legendum tot amicorum ſuorum memoriam, & recordationem ſine aliqua voluptatis particula poſſe percurrere; nam ante hoc ferme biennium edidi mearum ineptiarum libros decem, non tam meo nutu, quam Reverendiſs. Epiſcopi Forolivienſis impulſu, qui tum a Pontifice in noſtram provinciam quæſtor in Clericos delegatus extiterat. Itaque ne in meam Abbatiam inclementius deſæviret, mos illi gerundus fuit, ut & ineptias meas invitus ederem illius juſſu, quas omnino

nino delitescere omnino cupiebam, & ipſam editionem ſuo quoque inſcriberem nomini. Addidi nuper & duos libros, ut qui ſemel impudentiæ fines tranſieram, gnaviter, & ſtrenue impudens fierem, ut ille noſter ante multa ſæcula jocatus eſt. Ex his duodecim libris, quatuor nunc ad te mitto, reliquos octo, qui inter manus verſantur librarii, non multo poſt demiſſurus, ſi tamen prima hæc deguſtatio non diſplicuerit. Accipies igitur, Clementiſſime princeps, agreſte hoc meum, & ruſticanum munuſculum, nec tam muneris ipſius exilitatem, atque inopiam metieris, quam prompti, & ardentis in te animi voluntatem. Valere Dom. tuam, & felicem eſſe multi percupimus. Aretii 14. Febr. 1474.

Bartholomæus Cardinalis Ravennenſis Hieronymo Abbati S. Floræ S. D.

REDDIDIT nobis Bernardinus Aretinus litteras veſtras ſimul & libellum epiſtolarum, quem nobis miſiſtis. Magni fecimus ſemper doctrinam veſtram, & cum id animi ſemper nobis fuerit, ut cupiamus novis doctorum operibus latinam linguam in dies magis illuſtrari, non potuimus non lætari vehementer, quum vidimus epiſtolas veſtras collectas ſimul, & in volumen redactas. Magna enim eſt epiſtolarum utilitas, ſi tales ſint, quæ legi mereantur: Nam illis continuo uti contingit, & quotidiano ſermoni nulla magis lectio confert. Debemus vobis plurimum & noſtra, & poſterorum cauſſa, ad quos non dubitamus, quin epiſtolæ veſtræ perveniant, & in pretio futuræ ſint: Sunt enim graves, doctæ, leni ac eleganti ſtylo ſcriptæ, quales Ciceronis, Beati Hieronymi, & aliorum doctorum fuiſſe videmus. Hortamur, ut, quando vobis otium eſt, curetis reliquas pariter colligere, & proſequi inceptum opus. Ceterum res veſtra, pro qua Bernardinum miſiſtis, ſumma cum diligentia, & ſtudio tentata fuit. Dicunt non poſſe eam nunc expediri: expectanda erit occaſio. Nos erimus memores, & rem juvabimus, ne optimo deſiderio veſtro fruſtremini. Bene valete. Romæ XI. Martii 1474.


Antequam finem Operi imponamus, monitum volumus Lectorem veniſſe nobis in manus ſuperioribus diebus Librum, duobus Tomis diſtinctum, cui titulus *La Science des Medailles avec des Remarques* &c. quem tantum italice redditum ſine notis

notis videramus. In parte autem ipſius priore pag. 115. nonnulla invenimus, quibus ea, quæ de *Tejæ* nummo Cap. II. §... notavimus confirmarentur. Ea heic ſubdere optimum viſum eſt. „ Thejas fut le Succeſſeur de Totila, & périt dans „ une bataille en 553. un an après ſon élection. Je ne crois „ pas qu'on ait vû jusqu' à préſent de Médaille de ce Prin- „ ce: car la Médaille d'argent où on lit dans une couronne „ DN THELA REX, que j'ai vûë dans le Cabinet de M. „ l'Abbé de Rothelin, répréſente de l'autre côté la tête de „ l' Empereur Anaſtaſe, qui etoit mort 34. ans avant que „ Thejas montât ſur le trone.

„ Le Roi Théla de la Médaille de M. l'Abbé de Rothe- „ lin pourroit bien être le même que Jornandes (de Reb. „ Get. p. 142.) nomme Tranſtila, pére de ce Tranſaric qui „ fut chaſsé de Sirmium par les Troupes que Théodoric „ des Oſtrogoths envoya d'Italie contre lui; car il paroît „ par le récit de Jornandes, que *Tranſtila* avoit dû etre „ Contemporain d' Anaſtaſe. " Et pag. 330. hæc habet: „ J'ai déja remarqué, qu'on ne trouvoit point de Médaille „ qui portât le nom de *Teïas*, & que celles où on lit DN „ THELA REX, au revers d' Anaſtaſe, ne ſçauroient ap- „ partenir au dernier des Rois Goths qui ont regné en Italie.

Abſente Auctore, qui exſcriptorem adhibuit haud omnino diligentem, nonnulli errores irrepſerunt, quorum qui majoris ſunt ponderis humanitati tuæ corrigendi proponuntur. Id vero monitum te volumus in Gregorii V. Diplomate ad Gerbertum, neſcio quo fato, Orthographiam in nonnullis vocibus fuiſſe immutatam, quæ res quam nobis diſplicuerit, vix credas. Faveto igitur, ac vale.


Pag. 5. verſ. 9. *ſit referendæ* corr. *ſint referendæ*. pag. 9. v. 27. *A. C.* corr. &c. pag. 10. v. 6. *Placidæ* corr. *Placidiæ*. pag. 13. v. 4. *Magon* corr. *Magno*. p. 15. v. ultim. *de Numiſm. Col. p. m.* 43. ſupp. *Tom. I.* pag. 22. in Nota (*d*) *in nummo expreſſo* corr. *expreſſa*. pag. 24. v. 16. *nullum vidimus nummorum* corr. *nummum*. pag. 29. v. 16. *ſedem locavit* corr. *locarit*. pag. 40. v. 8. *Totialæ, ſive Baduælæ* corr. *Totilæ, ſive Baduelæ*. pag. 64. v. 10. *quin Sanctæ Crucis Templum* corr. *quin memoratum ab Agnello Sanctæ Crucis Templum*. pag. 70. v. 6. *Maximo* corr. *Maxio*. ibidem *parros* corr. *parvos*. pag. 93. v. 12. *Ptb.* corr. *Joh.* pag. 96. v. 25. *Sarra* corr. *Serra*. pag. 69. v. 27. *ipſum* corr. *ipſius*. pag. 101. v. 24. *valent* corr. *valeant*. Ne quid dicamus de *Spanemio, & Caſſinatium Ordine* pro *Spanhemio, & Caſinatium pluries poſito*.



Digitized by Google

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google




Digitized by Google

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google


Tav. III.



Digitized by Google

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts


Digitized by Google



Digitized by Google

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts


Digitized by Google



Digitized by Google


VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google



Digitized by Google


VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts


61.
62.
63.
CATARI· CIVITAS·
S·MARCVS
64.
PHON. S.TRI
CIVIT· CATAR·
65.
CATARI· CIVITAS
S·MARCVS
66.
RAGVSII S·BLASIVS
SALVS· TVTA
67.
RAGVSI· MONETA
CIVITAS·
68.
RAGVSII· MONETA
RAGVSII· CIVITAS·
69.
RAGVSI· CIVITAS
70.
71.
CIVITAS

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google


Tav. VIII.



Digitized by Google

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts


Digitized by Google



Digitized by Google

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google



Digitized by Google

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google